52030/B

1256

126.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28770511_0001


WENCESLAI TRNKA
DE KRŽOWITZ
S. R. I. EQVITIS MEDICIN. DOCTOR.
IN REG. UNIVERS. THERESIANA BUDENSI PATHOLOGIÆ PROFESSORIS P. O.

HISTORIA AMAUROSEOS

OMNIS AEVI OBSERVATA MEDICA CONTINENS.

PARS I.





VINDOBONAE
Proſtat apud RUD. GRÆFFERUM.

CIↃ DCC LXXXI.

306038

Qvælibet obſervatio lucis radios ſpargit, qvi objecta noſtrarum diſqviſitionum claram in lucem aſſerere qveant; qvorum efficacitas ut intendatur, oportet eosdem diſperſos in focum cogere.

MARET.



ILLUSTRISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO

JOSEPHO

PETHEÖ

DE ALSO-SZATA

PROTONOTARIO APOSTOLICO

CATH. ECCL. QVINQVE-ECCLES. CUST. ET CANONICO

EPISCOPO DRIVESZTENSI

S. C. R. A. MAJEST. CONSILIARIO

ATQVE

AD EXCELS. TABULAM SEPTEMVIRALEM

ASSESSORI ET COJUDICI

VIRO

DE UTRAQVE REPUBL.

STUDIO, VIGILANTIA, JUSTITIAQVE

OPTIME MERITO

ATQVE

SCIENTIARUM ET BONARUM ARTIUM

ÆSTIMATORI AC FAUTORI INCOMPARABILI

HANCCE

AMAUROSEOS HISTORIAM

IN

VENERABUNDI ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI S. AUCTOR.

Triennium abiit, qvod hancce amauroſeos hiſtoriam elucubratam jam in ſcriniis occuluerim, velut ſi præſagiiſſet animus, fœtum hunc futurum fuiſſe immaturum, ſi ubi primum meas reliqvit curas, continuo id temporis in lucem emerſiſſet; qvandoqvidem haud ita multo poſt cum J. L. SCHMUCKERI *tum præſertim* A. G. RICHTERI, *Ill. hac tempeſtate Virorum, obſervationes de eodem morbo prodiere: qvæ tanti me hercle ſunt, ut abſqve iis omnis meus labor haud immerito vanus videri potuiſſet. Nihil me hic illarum in laudem atqve commendationem dicere oportet, ne forte in adulationem animum inclinaſſe videar, ipſæ illæ obſervationes ſuis ubiqve locis occurſuræ Tuum Lector in ſe convertent animum, ut & qvanti habendæ ſint, & qvid in emendanda proferendaqve amauroſeos qva cognitione qva medendi methodo cum* RICHTERO *tum* SCHMUCKERO *debeatur, tute exiſtimes. Qvorum libri tametſi hodie omnium in manibus*

verſentur, haud me tamen actum egiſſe arbitror, dum Eorum obſervationes cum reliqvis, qvas aliorum multo ante nobis induſtria peperit, unam in ſeriem coegi: qvo fit, ut ibidem & novitate ſua emineant magis, & errores aliorum luculentius coarguant, & de veritate obſervationum ab aliis memoriæ proditarum nos tanto faciant certiores. His itaqve noviſſimis Ill. Virorum acceſſionibus ornata mea amauroſeos hiſtoria omnia (niſi me animus fallit) uno complectitur volumine, qvæ ars medica ad noſtra uſqve tempora de hac oculorum ægritudine frugi protulit, oſtenditqve ſimul, qvouſqve humani conatus in amauroſi cognoſcenda & curanda profecerint, ubi ſubſtiterint, & qvid porro DEUS *ac natura nobis fecerint reliqvum in eodem hoc argumento & perſcrutandum & experiundum.*



SERIES OPERIS.

PARS I.

PARS II.

PROLEGOMENA.

SECTIO I. de Pharmacis.

HISTO-



HISTORIÆ AMAUROSEOS

PARS I.

DE NATURA, VARIETATE, ET CAUSIS AMAUROSEOS.

CAPUT I.

DEFINITIO AMAUROSEOS.

§. I.

AMAUROSIS (ἀμαυρόω *obſcuro* vel ἀμαυρῶς *obſcurus*) viſus obſcurationem vel aliqvatenus vel in totum innuit. Sed qvoniam non paucæ oculorum ægritudines viſum qva partim qva prorſus adimunt, qvin tamen amauroſeos nomine veniant, diſpiciendum eſt, qvid HIPPOCRATIS ἀμαύρωσις ὀμμάτων ſibi

velit: qvippe qvi eam sui generis morbo tribuerit, atqve a ceteris qvibusvis oculorum affectionibus studiose secreverit. Verum enim vero in genuina hujus morbi definitione impertienda Pathologi, alter alterius errores in definiendo censura notantes, usqve adeo sunt diversi, ut qvid tironi sit amplectendum, etiamnum sit ambiguum. Veteribus Ἀμαύρωσις *est cœcitas sine conspicua oculi labe.* Sic P. ÆGINETA (*a*) „ amaurosis (inqvit) est „ plerumqve perfectum cernendi impedimen- „ tum citra ullam manifestam oculi affectio- „ nem „. Idem postea ad H. BOERHAAVII usqve tempora omnes pene tenuerunt.

§. 2.

Primus autem BOERHAAVE (*b*) hanc Veterum definitionem vellicavit: „ amaurosis „ (inquiens) ... a medicis definitur, qvod sit „ perfecta cœcitas nullo vitio extrinsecus in „ oculo apparente, ut cornea pellucida, pu- „ pilla nigra sit, oculus æger externe ab „ oculo sano distingvi nequeat, ut vulgo di- „ cunt ... Verum definitio amauroseos mo-

(*a*) Rei med. L. 3. C. 22.
(*b*) De morb. ocul. Cap. 3. §. 101.

„ do tradita non convenit cum experientia; „ plures enim vidi ægrotos amauroſi alterius „ tantum oculi laborantes, in quibus oculi „ adfecti pupillam quieſcentem ſemper repe- „ ri, dum oculus ſanus ſuam uveam admoto „ corpore lucido contrahebat. Qvo phæno- „ meno obſervato, nec alio malo præter ea „ adparente, ſæpe indicavi oculum adfectum, „ mirantibus ignaris. Patet ergo (ſubjungit „ demum) oculum in amauroſi ab omni vitio „ externo non omnino eſſe liberum „ quemadmodum Veterum definitio perperam docet; ſed immobilitas pupillæ adeſſe obſervatur. Quamobrem ipſe, rejecta illorum definitione, novam condidit dicens (*c*): „ eſt „ ergo amauroſis cœcitas, in qua oculus vide- „ tur ſanus eſſe, excepta ut plurimum dilata- „ tione (forte contractione) pupillæ dene- „ gata, orta vel a retinæ, vel nervi optici, „ vel medullæ thalamorum nervi optici, vel „ corticis ejus vitio „. Magiſtrum BOERHAAVIUM ſecutus diſcipulus L. HEISTERUS (*d*) „ definitur (ait) alias amauroſis „ ab Auctoribus, qvod ſit viſus abolitio ſine „ vitio in oculo conſpicuo; qvæ autem defi-

---

(*c*) Ibidem §. 107.

(*d*) Diſſ. med. de amauroſi ſalivatione curata §. 5.

„ nitio nobis non ſatis exacta videtur: ſi enim „ oculus affectus accurate inſpiciatur, vitium „ profecto quoddam in oculo apparebit, nem„ pe pupilla duplo circiter amplior, quam in „ homine ſano; præterea immobilis fere ex„ ſiſtit: nam cum oculo ſano candela admo„ vetur, aut alia major lux, ... mox pupil„ la contrahitur et anguſtior fit; in homine „ vero amauroſi laborante, ſi ſimilia fiunt „ experimenta, pupilla non coarctatur, ſed „ ampla permanet, ut antea. Præterea ſi „ oculum ſanum circa meridiem in luce clara „ conſideremus, pupilla erit anguſta, ſi circa „ veſperam, multo amplior apparebit . . . „ In amauroſi vero pupilla ſemper dilatata „ & immobilis manet, ſive ſit meridies ſive „ veſper, ſive in tenebris ſive in luce ægri „ verſentur „. Eapropter & ipſe ad Magiſtri ſui mentem definitioni vulgari aliam ſubſtituit BOERHAAVIANA paulo clariorem (e) nempe „ amauroſis eſt ... cœcitas perfecta, ubi „ externe nullum vitium in oculo eſt con„ ſpicuum, qvam ſolum pupilla ſolito major, „ & fere immobilis „. Atqve ſic duplex oculi amaurotici extrinſecus conſpicuum vitium a Veteribus prætervifum cum BOERHAAVE

(e) Ibidem §. 2.

tum HEISTER contra illorum vulgatam definitionem detexere, pupillæ nempe amplitudinem cum immobilitate.

§. 3.

Verum neqve poſtrema HEISTERI definitio diu ſe ſe aliis probaverat. Nam cum teſte C. de SAINT YVES (*f*) amauroſes fuerint obſervatæ, qvæ pro pupillæ amplitudine conſtrictionem juſto majorem ejusdem & immobilitatem conjunctam ſibi habuerint, ex HEISTERIANA amauroſeos definitione expungenda erat pupillæ amplitudo, ſola ejus relicta immobilitate, ut ita definitio ad omnia amauroſeos genera pertineret. Hinc SAUVAGESIO (*g*) amauroſis „ eſt morbus, cujus „ præcipuum ſymptoma eſt viſus ſuppreſſio „ & pupillæ immobilitas ſine ſenſibili oculo„ rum opacitate „. Atqve hæc altera erat definitionis amauroſeos emendatio, perinde haud diuturna.

(*f*) Vide §. 17. a).
(*g*) Noſol. meth. T. 2. P. 2. Cl. 6. Ord. 1. art. 4.

§. 4.

Lapſis temporibus obſervata docuere, amauroſes eſſe cum nativa pupillarum mobilitate prorſus illæſa uſqve adeo, ut nihil omnino vitii exhibuerint oculi amauroſi laborantes inſpicientibus, ut inferius (*h*) referemus. Qvid jam hic definitione ſeu BOERHAAVII, ſeu HEISTERI, ſeu SAUVAGESII eſt profectum? Si uſpiam, hic ſane vulgata Veterum definitio locum habebit. Alii videntes itaqve nec Veteres nec eorum Emendatores a vero prorſus in definienda amauroſi aberraſſe, ſingulas tamen eorum definitiones ita eſſe comparatas, ut ubiqve locum habere neqveant, operam dedere, ut ad notos jam ſcopulos non alliderent ſuam Logicen, in quos etiam F. HOFFMANNUS (*i*) cum Veteribus impegit, ac tanto qvidem magis, qvod amauroſin „ per viſionem ab influxu „ fluidi nervei in nervum opticum prorſus „ intercepto, oculis illæſis exiſtentibus, ſub- „ latam „ deſcripſerit. Nam præterqvam qvod immobilitatem pupillæ non memoret, etiam vigente influxu nervei laticis in nervum opti-

(*h*) Vide §. 17. b).
(*i*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 4. theſ. path. §. 1.

cum amaurosis evenire potest, modo e nervo optico in retinam fluido nerveo transitus impediatur, qvemadmodum in sure HALLERI (*k*) videre est. Unde factum est, ut aliæ atqve aliæ amauroseos definitiones conderentur. Etenim ab I. OOSTERDYKSCHACHTIO (*l*) definitur cum GALENO, aut qvisqvis est alius Auctor libri *Introductio* seu *Medicus* (*m*), esse „ abolita visio sine ulla manifesta causa in oculis adparente „. Verum ne id qvidem semper obtinet: qvandoqvidem vulnera & contusiones oculi (*n*), ejusdemqve ex orbita propulsio (*o*), amaurosim interdum causare observantur. Postremam deniqve hujus morbi definitionem R. A. VOGEL (*p*) tentavit, cui amaurosis est cœcitas sine lippitudine & suffusione. Qvod si ita est, amaurosis compellanda erit ea visus impotentia, qvæ accidit aculi bulbo ita vi spasmi tonici sursum converso, ut pupilla infra superiorem palpebram prorsus delitescat, aut qvæ post cataractæ extractionem evenit, iride ita se se

---

(*k*) Vide §. 29. b).
(*l*) Instit. med. pract. L. 2. C. 1. §. 1.
(*m*) Cap. 15.
(*n*) Vide §. 47. b).
(*o*) Vide §. 29. a).
(*p*) De cogn. & cur. præcip. C. H. affect. §. 574.

contrahente, ut pupillam ex integro aboleat, nervo optico nullatenus affecto; qvandoqvidem iride discissa vel sponte alio in loco aperta visio restituitur, testantibus id RICHTERO (*q*), ACRELIO (*r*), I. L. ODHELIO (*s*), aliisqve; id qvod nemo unqvam dixerit.

§. 5.

Quæ cum ita sint, satis superqve elucet, haud dum suppetere definitionem amauroseos numeris omnibus absolutam, neqve spem esse, eam unqvam obtentum iri, si in definiendo ad variabilem oculi affecti habitum externum respiciatur. Mihi autem *amaurosis est cæcitas a vitio nervi optici.*

§. 6.

Ἀμαύρωσις, etsi A. C. CELSUS (*t*) latine *caliginem* reddiderit; hodie usqve adeo a Medicis civitate donata est, ut latini vocabuli usus nunqvam factus fuisse videatur. A

(*q*) Obs. chir. fascic. 1. p. 83 in nota.

(*r*) Act. Svec. Vol. 29. Trim. 2. Vol. 34. Trim. 2. No. 6.

(*s*) Ibid. Vol. 34. Trim. 2. No. 5.

(*t*) De medicina L. 6. C. 6. §. 32. 34.

barbaris olim *Gutta ſerena* vocabatur, *gutta* ex inepta Arabum ſententia, qvi ſecundum hypotheſin ſuarum defluxionum opinati ſunt guttam catarrhalis materiæ ante foramen viſus opticum in nervum illapſam impedire ſpirituum in eundem ingreſſum; *ſerena* vero dicta, qvod oculum non opacaret. Barbaræ tamen hujus compellationis hodiedum præ latina uſus eſt; forte qvod hanc A. FOESIUS ambiguam reddiderit, cui ἀμαύρωσις (*u*) eſt *obſcuratio*, *hebetudo*, *langvor* oculorum, *caligo* vero ἀχλὺς (*x*). Hinc illud COI (*y*) ὄμμα ἀμαυρούμενον, φλαῦρον, καὶ τὸ πεπηγὸς καὶ ἀχλυῶδες κακόν, ta vertit: „ hebeſcentes oculi & obtuſi im„ probandi ſunt, qvin & fixi & caligine ob„ ducti malum portendunt „.

(*u*) Oeconom. HIPPOCRATIS p. 23.
(*x*) Ibidem p. 72.
(*y*) Prorrhet. Lib. I. No. 46.



CAPUT II.

GENERA AMAUROSEOS.

§. 7.

Sunt, qvi amaurosin sua in genera discreturi eorum haud pauca a causis petant; mihi eas huc arcessere non est visum, nisi qvatenus amaurosis universis suis in causis aut protopathica est, aut deuteropathica. Genera proinde hujus morbi non alia sum in medium allaturus, qvam qvæ 1. Oculi ipsi affecti, 2. Magnitudo morbi, 3. Genesis ejusdem, 4. Typus, 5. Complicatio cum aliis morbis oculorum, ac 6. Causæ toto complexu spectatæ, suppeditant.

§. 8.

I. OCULUS ipse dum spectatur, amaurosis binis accidere modis potest, nempe

1. *Monocula*, dum alterutrum tantum oculum invadit: cujus rei numerosa passim occurrent exempla in seqventibus, qvorum alia sinistri, dextri alia oculi amaurosin ostendent.

2. *Utriusqve oculi* vel ſimul ac ſemel vel alterius poſt alterum oborta. Atqve hic omnium eſt freqventiſſimus caſus.

§. 9.

II. MAGNITUDO porro viſus læſi per amauroſin perinde duplex eſſe poteſt, dum nimirum vel omnis penitus viſus interiit, vel aliqvæ etiamnum illius ſuperſunt reliqviæ. Hinc amauroſis eſt

1. *Perfecta*, dum ita viſus omnis eſt amiſſus, ut æger nec lucem a tenebris diſcernere qveat, ſed nox ac tenebræ Cimmeriæ perpetuo oculis obverſentur, velut accidit FOURNIERI (*z*) ruſticæ, mulieri HEISTERI (*a*), binisqve feminis ac puero IANINI (*b*), tum LAMZWEERDII (*c*) viro, pyrobolario MAYRI (*d*), centurioni NEBELII (*e*), puellæ PAWII (*f*), PLATERIqve feminæ (*g*), PÜSCHELII (*h*) militi, RIBEI (*i*)

(*z*) Vide §. 112. a).
(*a*) Vide §. 73.
(*b*) Vide §. 17. b). & §. 106.
(*c*) Vide §. 100. No. 1.
(*d*) Vide §. 107. No. 3.
(*e*) Vide §. 97.
(*f*) Vide §. 31 b).
(*g*) Vide §. 41. b).
(*h*) Vide §. 66. No. 5.
(*i*) Vide §. 63.

rustico, RICHTERI juveni e febre acuta continua cœco (*k*), & ecclesiastico (*l*), nec non mercatori RIEDLINI (*m*), arthritico SCHMUCKERI (*n*), SCHROECKII (*o*) virgini, viro SIGELII (*p*), TREWII qve (*q*) feminæ &c.

2. *Imperfecta* vero, dum aliqvid adhuc visus superest, videlicet dum adest

a) *Discrimen lucem inter ac tenebras*, id est dum ægri diem a nocte, locum lucidum a tenebroso dignoscunt, lumen oculis admotum percipiunt, &c. ut COLLINI (*r*) puella erysipelati obnoxia, HEYI (*s*) lithanthracum fossor, ac puella STÖRCKII (*t*).

b) *Visus dimidiatus*, qvem expertæ fuere mulieres M. DONATI (*u*), HELDII que (*x*), puella HOFFMANNI (*y*), & WEPFERI (*z*)

(*k*) Vide §. 66. No. 2.
(*l*) Vide §. 64. No. 3.
(*m*) Vide §. 38. d)
(*n*) Vide histor. 8.
(*o*) Vide §. 32.
(*p*) Vide §. 106.
(*q*) Vide §. 39. b).
(*r*) Vide §. 79. I.
(*s*) Vide §. 106.
(*t*) Vide §. 84.
(*u*) Vide §. 57. No. 1.
(*x*) Vide §. 39. a).
(*y*) Vide §. 38. b).
(*z*) Vide §. 57. No. 1.

consiliarius. Sic etiam H. SMETII (*a*) filia 14 annor. inter prandendum de visus repentina læsione qvesta, qva dimidiatæ molis solum objectorum species se discernere posse dicebat. Rediit malum post 28 dies, ac postridie sponte iterum desiit. Post 27 alios dies tertium revertit: oculo dextro objecta dimidio minora, idqve satis obscure, apparebant, sinistro autem oculo flocculi nivis obversari videbantur, mox qvoqve circumagi omnia putabat, deinde capite dolebat. Sed trihorii intervallo omnia desiere. Perinde A. VATERI (*b*) vir juvenis, plethoricus, genio hilari, a grata societate in solitudinem abstractus, tristitiæ cum indulsisset, vinoqve austero uteretur, in malum hypochondriacum incidit, alvus evasit immorigera, & præcordiorum anxietates vix $\frac{1}{4}$ horæ eum vel legere vel meditari patiebantur. His in miseriis dum aliqvando pingendæ punctatim imagini minutissimæ, obolum non excedenti, oculis nimis qvam intentis operam daret, subito caligare cœpit: omnia oculis occurrentia objecta dimidiata ac bisecta apparebant, adeo ut sive ambobus oculis, sive

(*a*) Miscellan. med. Lib. 10. p. m. 548.

(*b*) Diss. qva visus vitia duo rarissima consider. (4to Wittenb. 1723.) Casu 2.

alterutro clauſo, ea intueretur, dimidia illorum pars viſum ſemper fugerit. Duravit malum una alterave tantum hora, ac poſtmodo ſponte ſine medela evanuit.„ Eundem tamen „ affectum (ſubdit Author) in femina hypo„ chondriaca & ſcorbutica, vini pariter craſ„ ſioris potui, ac animi affectibus graviori„ bus indulgente, a mœrore diuturno, fletu„ qve freqventi inductum, per 6 integros „ menſes duraſſe, & poſtea animo a curis „ liberato, ſenſim remiſiſſe novimus. Ter„ tium hujus viſus dimidiati exemplum . . . „ præbuit nobis matrona nobilis, ex cujus „ ore habemus, ſæpiſſime ipſi contingere, „ ut objecta omnia qvoad dimidiam tan„ tum eorum partem videat, imprimis „ hoc tempore, qvo utero gerit; ſymptoma „ tamen hoc non diu durare, ſed mox trans„ ire „. Haud ſecius ægri alius meminit C. S. WOLFFIUS (*c*), qvi ex homine haud niſi truncum inferiorem cum pedibus videre potuit.

c) *Viſus ſub unico tantum oculi ſitu*, v. g. bulbo non niſi directo vel alterutrum in canthum deflexo, vel ſurſum deorſumve converſo. Sic e directo tantum objecta ſita

(*c*) Diſſ. de amaur. imperf. Trajecti 1709.

videri poterant a VORWALTNERI (*d*) religioso. Narrat BURNETUS (*e*) Genevensem qvamdam virginem, cum nondum anicula esset, calidissimæ fornaci proxime admotam visu usqve adeo orbatam fuisse, ut non nisi superna oculi parte objecta sursum ac versus lucem sita aliqvatenus dignoverit. Sic qvoqve L. HEISTERI (*f*) nobilis, KELLNERI (*g*) vir, & hipparchus SALMUTHI (*h*) eodem visus vitio laborarunt. Inter A. HÆNII (*i*) ægros, qvorum historiam medicam A. 1747-8 condidit „ unus fuit, „ qvi die 5to fere sanatus visus hebetudine „ affligebatur, qvando paulo infra horizon„ talem lineam qvid vellet intueri, imo vim, „ ut videret, edere volens, objecta cernuit „ duplicata; recta vero sursumqve omnia „ rite aspiciebat. Sensim tamen convaluit „. Porro oculum, inqvit P. FORESTUS (*k*) „ resolutum ex percussione laborantem con„ speximus, qvi si ad unam partem conspi„ ceret, etiam optime videbat, si ad alte-

(*d*) Vide §. 39. i).
(*e*) Reisebeschreib. P. 1. p. 308.
(*f*) Vide §. 37. a).
(*g*) Vide §. 47. b).
(*h*) Ibidem a).
(*i*) Opp. posthum. Vol. 1. Sect. 5. p. 341.
(*k*) Obs. & cur. med. L. 10, Obs. 89.

„ ram, nihil qvicqvam videbat „. Lateralis qvoque ſolummodo viſus aliqvis ſuperfuit BERNERI (*l*) judæo, ſutori apud HEY (*m*), RICHTERIque juveni e fulminis terrore amauroſin paſſo (*n*), & viro 52 annos nato (*o*). „ Recordor, inqvit etiam A. G. RICHTE-„ RUS (*p*), ægri ex amauroſi penitus cœci, „ qvi nihilo ſecius uno qvodam loco oblique „ trans naſum ſic ſatis diſtincte non modo „ lucem aliave vicina objecta clara, ſed ut-„ cunqve etiam remotæ turris apicem, con-„ ſpicabatur; at locus ille adeo erat exiguus, „ ut priusqvam reperiretur, diu fuerit qvæ-„ rendus „. Lateralem hunc viſum pene omnes HEYI (*q*) ægri præ directo citius recuperarunt. Sed mirabilem viſum lateralem narrat H. SMETIUS (*r*): „ cœcum qvemdam „ (ait) utroqve oculo orbum, naſo pro ocu-„ lis utentem vidi, cujus beneficio objecta „ omnia diſcernebat. Is dextro oculo ante „ annos multos, qvum puer eſſet, privatus

(*l*) Vide §. 47. a).
(*m*) Vide §. 106.
(*n*) Vide §. 34.
(*o*) Obſ. chir. faſc. 1. C. 13. Obſ. 8.
(*p*) Chir. Biblioth. 4. B. 1. St. p. 58.
(*q*) Vide §. 106.
(*r*) l. c. Lib. 5. Epiſt. 13. §. 2. p. m. 259. ſq.

„ fuerat,

„ fuerat. Tandem juvenis factus (rusticus
„ erat) ex cerafo in palum dumi ligneum
„ faftigiatum delapfus vultum impegit, ut
„ nafum una cum oculo finiftro, gena, pal-
„ pebra utraque, & fupercilio disrumperet,
„ adeo fœde, ut chirurgus oculi globum evul-
„ fum prorfus crederet, eumqve palo inhæ-
„ fiffe. Cicatrice tandem inducta poft annum
„ ab accepta plaga, dum in gramine aprica-
„ tur, forte lucem atqve flofculorum cando-
„ rem humi animadvertere occepit per nafi
„ cavitatem, & jam per 5 aut 6 annos con-
„ tinuos vifionem eo modo exercuit, ut
„ qvidqvid offeratur, nafo oculato diftin-
„ gvat exacte, fed defpectando, fufpectan-
„ do enim lucem ferre neqvit. Medicorum
„ igitur collegio, ut examinaretur. . . ex-
„ hibebatur; cum fuo enim chirurgo in jus
„ vocato contendebat. Portentofæ itaqve
„ hujus vifionis modum, caufamqve effe de-
„ prehendimus, qvod ficut palpebra fuperior
„ abrupto mufculo attolli amplius non pote-
„ rat, fed conglutinata qvoqve cum adnata
„ oculi tunica coaluerat, ita etiam avulfo
„ mufculo, qvi oculum verfus angulum acu-
„ tum retrahere folebat, pupilla in angulum
„ nafi fe prorfus abdiderat. Et qvia offilla
„ nafi non fracta modo fed & luxata qvo-
„ dammodo concinne reftitui non potuerunt,

„ accidit, ut nafus preffior latiorqve, fini-
„ ftra præfertim parte, evaferit, adeoqve
„ ejusdem naris meatum patentiorem curatio
„ reliqverit, per qvem diftorta latitansqve
„ pupilla videndi munus obibat, & res qvas-
„ libet nafo obvias internofcebat„. Haud tamen pro certo affirmarim, cafum hunc ad amaurofin pertinere; cum utrum alium in fitum pofitus bulbus objecta vifurus fuerit, nec ne, exploratum non habeatur. Sed non minus mirabilis eft amaurofis partialis fecundum vifionis axem, fuperftite vifu objectorum ad latera axeos, qvam A. VATERUS (s) obfervavit in femina mediæ ætatis. Ifthæc fuppreffo ope balnei, illudqve fecutæ refrigerationis, fluxu coryzæ intra noctem incidit in amaurofin, maneqve evigilans nihil vidit, citra confpicuum in oculis vitium. Ufu autem variorum catharticorum, fangvinem depurantium, interdumqve etiam veficantium, fub idonea fimul diæta, denuo recepit vifum, fed miris cum phœnomenis. Namqve principio omnes ei homines apparebant acephali: aliqvo autem poft tempore ægra objecta vidit integra, fed velut nebula obvoluta. Demum etiam

(s) N. G. LESKE Auserlefene Abhandl. pract. und chir. Innhalts aus den Phil. Transact. 2 Th. No. 8. p. 21.

hoc ipso vitio cessante flocci tantum vel maculæ ob oculos obvolitabant. Postremum illud superfuit vitium visus, ut cum apertis ambobus oculis totum conspicaretur objectum, alterutro eorum clauso media semper objecti regio a macula vel rotunda nebula tecta videretur, macula illa eo amplius increscente, quo oculus ab objecto remotior fuit. Unde si lævo ei oculo foret legendum *ego sum cœca*, pupillaque in vocem *sum* dirigeretur, nil aliud, nisi *ego* ... *cœca* videre potuit, voce *sum* visui subducta: si vero pupilla voci *ego* obvertebatur, hac evanida binas reliquas *sum cœca* conspicabatur. Contra si clauso oculo lævo dexter in objectum dirigebatur, nonnisi ¼ ejus pars visum fugiebat, ita ut, si v. g. legendum fuerat *ego cupio visum recipere*, pupilla in vocem *cupio* directa, hanc ipsam vocem videre neqviverit, ceteris *ego* ... *visum recipere* manentibus conspicuis.

§. 10.

III. GENESIS amauroseos rursum binis contingit modis, nempe vel subito vel lente. Idcirco amaurosis est

1. *Subita*, ubi simul ac semel visus omnis uni aut utrique oculo perit. C. E. ESCHENBA-

CHII (*t*) „ 30 circiter annorum vir juvenis,
„ ſanus, corporis ſtatura habituque medio-
„ cri gaudens, & regularem vitam, neque
„ eandem otioſam degens, cum aliqvando
„ tempore pomeridiano præſens qvoddam
„ contemplaretur objectum, ſubito & ſine
„ omni cauſa accedente craſſiorem alterutri
„ oculo caliginem obductam ſentit. Qvo-
„ niam corpus aliqvod peregrinum opacum
„ de improviſo applicatum ſuſpicatur, iſtud
„ manu oculo admota abſtergendo remove-
„ re operam navat; aſt labore inutili: ocu-
„ lus namque ipſe lumen amiſerat omne ſi-
„ mul ac ſemel, abhinc ad obitum uſque,
„ haud ita diu poſtea morbum terminantem
„ graviſſimum, ullis non reducendum
„ mediis „. Hujusmodi etiam caſus referunt ACREL (*u*), BEHR (*x*), BERTRAND (*y*), CAMERARIUS (*z*), CLAUDERUS (*a*), COLLIN (*b*), DONATUS (*c*), DURE-

(*t*) Obſ. anat. chir. med. 48. caſ. 3. p. 415.
(*u*) Vide §. 46. 115.
(*x*) Vide §. 73.
(*y*) Vide §. 90.
(*z*) Vide §. 76.
(*a*) Vide §. 57. No. 1.
(*b*) Vide §. 79. A. D. G.
(*c*) Vide §. 47. a.)

TUS (*d*), ESCHENBACH (*e*), FOURNIER (*f*), HALLER (*g*), HEISTER (*h*), HELLWIG (*i*), HERCULANUS (*k*), HILDANUS (*l*), HOFFMANNUS (*m*), HURBOTIUS (*n*), ISENFLAMM (*o*), LAMZWEERDE (*p*), LEBENWALD (*q*), LEDELIUS (*r*), P. de MARCHETTIS (*s*), MAYR (*t*), MORGAGNI (*u*), NEIFELD (*x*), PAULLINI (*y*), RAYGER (*z*), RICHTER (*a*),

---

(*d*) Vide §. 95. c).
(*e*) Vide §. 73.
(*f*) Vide §. 112. a).
(*g*) Vide §. 90.
(*h*) Vide §. 16. c).
(*i*) Vide §. 97.
(*k*) Vide §. 34.
(*l*) Vide §. 47. b).
(*m*) Vide §. 44 & hiſtor. 2.
(*n*) Vide §. 47. e).
(*o*) Vide §. 60. No 4. c).
(*p*) Vide §. 100. 115.
(*q*) Vide §. 46.
(*r*) Vide §. 35. d).
(*s*) Vide §. 47. b).
(*t*) Vide §. 107. No 3.
(*u*) Vide §. 25. a). §. 47. b).
(*x*) Vide §. 38. c).
(*y*) Vide §. 39. h).
(*z*) Vide §. 111.
(*a*) Vide §§. 37. a). 64. No 3.

RONDELETIUS (*b*), RUMLER (*c*), SAUVAGES (*d*), SCHIEBEL (*e*), SMETIUS (*f*), STÖRCK (*g*), TREW (*h*), TRILLER (*i*), VANDERMONDE (*k*), VELSCH (*l*) WANDELER (*m*), WHITE (*n*), ZACUTUS (*o*) SCHMUCKER (*p*), aliiqve.

2. *Lenta* vero eſt, qvæ alterutrius vel utriusqve oculi facultatem videndi ſenſim imminuendo tandem exſtingvit, velut pluribus poſtmodo (*q*) oſtendetur.

§. 11.

IV. TYPUS qvoqve amauroſeos duplex eſt; qvippe qvæ ſit vel

(*b*) Vide §. 97.
(*c*) Vide §. 39. a).
(*d*) Vide §. 31. b).
(*e*) Vide §. 39. a).
(*f*) Vide §. 9. No 2. b).
(*g*) Vide §. 72. No 2. §. 90.
(*h*) Vide §§. 39. b). 83.
(*i*) Vide §. 38. a).
(*k*) Vide §. 71.
(*l*) Vide §. 38. b).
(*m*) Vide §. 31. b).
(*n*) Vide §. 36. c).
(*o*) Vide §. 49. d).
(*p*) Vide §. 30. c).
(*q*) Vide §. 15. ſq.

1. *Continua*, perpetuis oculum affectum tenebris mulctans, vel

2. *Intermittens*, qvæ vel ſtatis vel incertis temporibus revertitur. Hinc eſt

a) *Vaga*, qvæ vagis cauſis debetur, ut eſt exceſſus in 6 rebus non naturalibus, præſertim idioſyncraſiæ adverſis. Hujusmodi amauroſis erat in BOXBARTERI (*r*) monacho qvamvis barbæ raſuram conſeqvens, in ægris BUDAEI (*s*) ac WEPFERI (*t*), in Britanno H. BOERHAAVII (*u*) a crapulis, in juvene FORESTI (*x*) perinde a largiore potu, cibisve crudis, ab indigeſtione in F. C. MEDICI (*y*) ægro. Ejusdem claſſis ſunt amauroſes a ſpaſinis oriundæ, dum eos vel præcedunt ſemper vel comitantur. Sic paroxyſmos epilepticos amauroſis præcedebat in BARTHOLINI (*z*) puella & muliere

(*r*) Vide §. 27. No 2.

(*s*) Vide §. 37. a).

(*t*) Ibidem.

(*u*) Vide §. 35. a).

(*x*) Vide §. 35. b).

(*y*) Geſchichte period. Krankh. 1 B. 2 C. §. 20. p. 82.

(*z*) Vide §. 57. No 1.

M. DONATI (*a*), raphaniæ vero inſultibus jungebatur in LENTINI (*b*) ægra; cephalææ autem acceſſiones ſeqvebatur in matrona MORGAGNII (*c*), & colicos dolores in PLATERI (*d*) femina. Idem eſt de graviditate (*e*), &c.

b) *Periodica*, quæ ſtatis temporibus reverti conſvevit, v. g. qvam catameniorum non fluentium periodi movere ſolent, ut in caſibus EBERSBACHII (*f*), HAGENDORNII (*g*), PECHLINIQUE (*h*) accidit, ac forſitan etiam ex eadem cauſa filiæ SMETII (*i*): vel qvam febrium intermittentium paroxyſmi accerſunt, velut in TIMAEI (*k*) Principe matrona: vel denique dum ipſa amauroſis protopathice eſt periodica, ſeu ſit e proſapia febrium larvatarum, ſeu ſui generis. Sic novit GUERIN (*l*) ruſticum

(*a*) Vide §. 57. No 1.
(*b*) Vide §. 35. d).
(*c*) Vide §. 19. b).
(*d*) Vide §. 41. b).
(*e*) Vide §. 27. No 2.
(*f*) Vide §. 60. No 1.
(*g*) Ibidem.
(*h*) Ibidem No 4. f).
(*i*) Vide §. 9. No 2. b).
(*k*) Vide §. 46.
(*l*) Verſuch über die Augenkrankheiten, 2 Th. 1 Abth. 3 Abſchn §. 1 p. 241.

qvovis vere amaurofin pati folitum, nec non bajulum qvovis anno, dum vaccæ in venerem pruriunt, eidem malo obnoxium (*m*). Amaurofin qvotidie hora 10ª antemeridiana invadentem obfervavit HANNEMANNUS (*n*): perinde vidit HOFFMANNUS (*o*) in viro amaurofim continuam oculi lævi, dexteri vero periodicam, qvotidie tribus circ. poft fomnum finitum horis invadentem, & ad 3ᵃᵐ ufque horam pomeridianam durantem. Similis huic eft L. HEISTERI (*p*) cafus de juvene futore, qui mane optime videns a meridie hora 2ª quotidie occœcabatur: in folem aut lumen intuenti meræ fcintillæ ob oculos oberrabant, nullo in oculis confpicuo vitio. Huc etiam qvotidiana STÖRCKII (*q*), RICHTERIque (*r*) tertiana amaurofis pertinet.

(*m*) Vide §. 34.
(*n*) Vide §. 114.
(*o*) Vide §. 44.
(*p*) Medicin. chirurg. und anatom. Wahrnehmung, 1 Band No 428.
(*q*) Vide §. 90.
(*r*) Ibidem.

§. 12.

V. COMPLICATIO demum amaurofeos cum aliis oculorum vitiis non eft ignoranda. Hujus intuitu amaurofis eft vel

1. *Pura*, feu nulli alii vitio oculorum conjuncta; vel vero eft

2. *Complicata* cum aliis oculorum morbis v. g. cataracta, glaucomate, ftaphylomate, &c. Frequentiffimá tamen eft amaurofeos cum mydriafi complicatio, raræque admodum funt amaurofes cum nativa pupillæ mobilitate & amplitudine (*s*). Sat etiam crebro cataracta præfto eft, alia vero vitia paulo funt duobus dictis rariora. Hujusmodi autem complicatio vel in uno eodemque oculo eft, vel amaurofis in uno, vitia alia in altero. Sic in eodem oculo amaurofin cum cataracta junctam referunt ESCHENBACH (*t*), HEISTER (*u*), HOFFMANNUS (*x*), RICHTERUS (*y*), RIEDLINUS (*z*), STÖRCKIUS (*a*) &c. Amau-

(*s*) Vide §. 17. a). b).
(*t*) Vide §. 27. No 4.
(*u*) Vide §. 38. b).
(*x*) Vide §. 58.
(*y*) Obf. chir. fafcic. 1. Cap. 13. Obf. 8. p. m. 148.
(*z*) Vide §. 39. e).
(*a*) Vide §. 72. No 2.

rosin cum glaucomate ejusdem oculi viderunt HEISTER (*b*), HOUTTOYNque (*c*). At num non subinde pallor pupillam amaurotici oculi inspiciendo intra oculum observatus perperam pro cataracta incipiente haberi potuit? Num & glaucomatis amaurosi junctæ non idem ludibrium? Persvadet id sæpius, qvam crederetur, accidere posse J. J. WEPFERI (*d*) observatio, qvi canis enecti lævum oculum cataractam præ se ferentem sectione lustrans lentem sanam, nec nisi muco albo crasso anterius posteriusque obductam, reperit. Perinde vitreus humor oculi dextri sanus erat, sana lens & cornea; licet vivo in cane oculus hic glaucus apparuerit: & „ observavit Cl. Vir in optime vi- „ dentibus aliqvando glauci qvid apparere, „ qvod nihil nisi retina erat clarius visui oc- „ currens, pupilla ampliore & humoribus „ perspicuis exsistentibus „. Contra vero cataractam in uno, in altero oculorum amaurosim videre HEISTERUS (*e*), HOFFMAN-

(*b*) Vide §. 27. No 4).
(*c*) Vide §. 30. g).
(*d*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 7. obs. 16. p 29 35.
(*e*) Vide §. 27 No 4.

NUS (*f*), SMETIUS (*g*), STÖRCKIUSqve (*h*), qvi poſtremus etiam oculo in lævo glaucoma cum amauroſi dextri oculi obſervavit (*i*).

§. 13.

VI. CAUSA deniqve ſpectata mali duplex eſt amauroſis, videlicet

1. *Protopathica*, &

2. *Symptomatica*, quæ alius morbi primarii eſt ſymptoma, v. g. apoplexiæ, &c. De qva H. BOERHAAVE (*k*) „ morbus iſte „ (ait) ſæpe occurrit, & pro deſperato ſæ„ pe habetur; qvi tamen centies curatur, „ etiamſi curari neſciamus: neqve enim „ qviſquam curat apoplexiam, qvin hunc „ morbum curet. Omnes enim apoplectici „ hunc morbum patiuntur „.

(*f*) Vide §. 44.
(*g*) l. c. Lib. 10. p. m. 567.
(*h*) Vide §. 84.
(*i*) Ibidem.
(*k*) l. c. §. 100.

CAPUT III.

SYMPTOMATA AMAUROSEOS.

§. 14.

Multiplicia amaurosis, cum nascens, tum ubi jam visum penitus exstinxit, sæpe numero symptomata sibi juncta habet; qvæ qvoniam rite cognita & cum causis morbi collata magnum in diagnosi rite formanda momentum præstant, non jejune sed enucleate singula oportet expendere: id qvod, pro eo ac par est, perficere satagam.

§. 15.

1. AMBLYOPIA, si non simul ac semel visus perit, morbum plerumque orditur. Ægri teste BOERHAAVIO (*l*) „ conqveruntur, ... qvasi satis ipsis lucis non esset „ ad visum, seu qvod lux non satis clara adpareat „. Amblyopia hæc vel ad vicina est objecta, vel ad remotiora, vel ad qvamlibet distantiam. Juvenis ESCHENBA-

(*l*) l. c. §. 108.

CHII (*m*) corpora remotiſſima multo clarius diſcernebat, qvam quæ mediocri & conſveto intervallo ab ipſo diſtabant; qvod idem in mercatore ejusdem (*n*) eſt obſervatum, idemque in ſe ipſo expertus eſt GRASSIUS (*o*): contra ea ſervus HEISTERI (*p*) objecta remotiora nullatenus dignoſcere qvivit.

§. 16.

2. LUDIBRIA *Optica*. Horum pleraqve naſcentem amauroſin comitantur, nonnulla vero etiam plena in cœcitate occurrunt. Voco autem *ludibria optica* obverſantes oculis mentive rerum non exſiſtentium, aut non eodem, qvo cerni videntur, modo aut loco exſiſtentium ſpecies. Hujusmodi vero ludibria ſunt

a) *Nebula*, *nubes*, &c. objectis oculisve prætenſa, claritati viſus in diſcernendis rite objectis officiens. Sic intra nebulam omnia ſita ſibi videri ESCHENBACHII (*q*) merca-

(*m*) Vide §. 27. No. 4.
(*n*) Ibidem.
(*o*) Vide §. 87.
(*p*) Vide hiſtor. 5.
(*q*) Vide §. 27. No 4.

tor, GRASSIUSque (*r*), nebulam nubemque præ oculis ægrotæ HEISTERI (*s*) qverebantur; ſartori CONSBRUCHII (*t*) objecta velut nube tenui tecta apparebant; HEISTERIque (*u*) ſervus quaſi trans peplum tuebatur. „ Plurimos ſane vidit A. G. „ RICHTERUS (*x*), qui ſub primo morbi „ initio fumum nebulamque ſibi ante oculos „ eſſe qverebantur; qvæ ſenſim denſior fit, „ donec objecta penitus obtegat „.

b) *Idola* varii generis, nigri plerumqve aut fuſci coloris, ob oculos errantia, ut puncta, fila, globuli, muſcæ, araneæ, annuli catenati, diſci, &c. HEISTERI (*y*) Conſiliario ante dextrum oculum filum ſerici aut lanæ nigræ obvolitabat. „ Vidit qvoqve „ RICHTERUS (*z*), qvibus rete aliqvod, „ vel tela qvaſi aranea ante omnia objecta „ expanſa, tenuior rariorqve initio, ſenſim „ vero denſior, objectaqve penitus obtegens,

(*r*) Vide §. 87.
(*s*) Vide §. 73 & l. c. 2 Band No 60.
(*t*) Vide §. 74.
(*u*) Vide hiſtor. 5.
(*x*) Obſerv. chirurg. faſcic. 2. cap. 5. p. 72.
(*y*) Vide hiſtor. 4.
(*z*) l. c.

„ apparuit „. Cujusmodi telæ aranearum Comitem M. DONATI (*a*) fatigabant. Maculas vero nigras bini HEISTERI (*b*) juvenes experiebantur, qvæ muſcarum alias, alias culicum, aranearum, &c. formas mentiuntur, velut in CAMERARII (*c*) ac FORESTI (*d*) juvenibus. Horſum qvoqve paradoxus ille BOYLEI (*e*) caſus referendus procul dubio videtur, quem BOERHAAVE (*f*) non ſine nova ſemper difficultate lectitabat. Nimirum vir ſanus, jejunus, mane in lecto jam vigil, ad lacunar lecti magnam conſpicatus araneam, cum jam ad perpendiculum ſupra oculum penderet, amoveri juſſit; ſed manu dum arripere uxor tentat, illa unicam liqvidi guttulam emiſit, qvam recta in oculum cadentem videre ſibi vir videbatur: ſubito itaqve oculum non læſum fricuit, ſed continuo nil niſi tenebras vidit, periitque ejus oculi viſus, nullo extrinſecus vitio ſpectabili. Auctor qvidem ægrum ipſum videre cupiit; ſed domi haud reperit: id-

(*a*) Vide infra in c).
(*b*) l c 1 Band No 400 & vid. §. 33. a).
(*c*) Vide hiſtor. 1.
(*d*) Vide §. 35. b).
(*e*) Tract. de concord. medicam. ſpecif. &c.
(*f*) l. c. §. 116.

circo

circo sola medici ejus ocularii narratione contentus esse debuit, qvi utique potuit in diagnosi deliqvisse. Narrat qvidem BOSMAN (g) a serpente salivam in faciem exspuente coecitatem fuisse consecutam; sed ne istud qvidem tantæ est certitudinis, ut non multo potius illam a terrore obortam suspicari liceat. Interdum vero maculæ illæ nigræ prius memoratæ in meditullio pellucidæ sunt, ac tum annulorum nigrorum, haud raro catenæ in modum sibi innexorum, formam exhibent, velut in HEISTERI (h) femina monetaria, nec non I. C. CLAUDINI (i) Barone Germano, lineam nigram oculo dextro cernente, cui globuli appensi videbantur, minores in lineæ extremis, in medio vero majores ac diaphani: qvod spectrum clara in luce magis, qvam in obscuro, eum molestabat. Non inutile erit binos hic casus dare, varia peculiaria horum idolorum phænomena exhibentes, qvorum primum L. HEISTERUS (k) ita literis mandavit: nonnemo per loca undique nivibus obsita iter faciens observare cœpit cir-

(g) Descript. von Guin. p. 369.
(h) Vide histor. 3.
(i) Consult. medic. 137.
(k) l. c. No 475.

cellos binos ternosve ſibi innexos huc illuc volantes. Ex eo poſtmodo tempore nubeculas qvasdam nigras ante oculos jam elevari jam ſubſidere notabat. Poſtea obſervabat nigras aliqvot lineas interruptas, velut exuvias conſumptorum vermium, in qveis dicti circelli perinde viſebantur; lineæ hæ demum ſenſim uſqve adeo increvere, ut æger in aerem aut corpora alba intuens ſemper hæc ſpectra videret, at non jam ſola, verum nubecula tenuis nigra, globulis aliqvot denarium æqvantibus interſtincta, continenter diu noctuqve, etiam alium qvam album colorem, modo niger non eſſet, intuenti, ante oculos aſſurgebat ac ſubſidebat, dum vicina objecta contueretur, aberat vero in aſpectu corporum eminus poſitorum, qvæ inculpato acriqve viſu diſcernebat. Porro noctu accenſo lumine intuendo res candidas maculam conſpicabatur viridem ſalientem magnitudine nucis jam avellanæ jam majoris, prout nempe objectum album aut remotius erat aut vicinius oculis, qvod tum præprimis accidit, dum prius lux oculos perſtrinxit. Qvod ſi vero nocturno tempore ad lumen in conclavi accenſum in locum umbroſum aut minus colluſtratum oculos conjecit, rotundam flammam rubram prunarum aut ferri candentis inſtar, pugnum caputve in-

ſantis æqvantem, conſpicabatur. Contra ea flammam luminis aut locum ſole colluſtratum (v. g. aerem) uno vel utroqve oculo, dormientium inſtar connivente, inſpicienti tenera veluti tela ſexcentis punctulis, aliisqve parvis obrotundis figuris verrucas vel clavos æmulantibus, referta, ſatisqve ampla, ac toti fere luminis flammæ prætenſa, ſeſe oſtendebat. Interdiu porro oculis ex intervallo unius pluriumve pedum in feneſtram ubertim ab ſole illuſtratam converſis notabat 2. 3. 4ve longos tractus, dorſum cultri latos, culicis alarum inſtar pellucidos, transverſim ante oculos moveri, viſumque in tranſitu ſuo morari. Cuncta hæc phænomena uno juxta ac altero oculo, ſeu unum ſeu utrumqve apertum teneret, obſervabat. Cum increſcentibus his ſpectris viſus acies, prius optima, pedetentim tantopere minuebatur, ut qvamvis æger objecta cum remotiora tum vicina probe diſtingveret, minutiores tamen literas haud amplius expedite legere citra oculorum moleſtiam qviverit. Solis luminisve radii hos jam perſtringebant, oculique continuo ad connivendum palpebrarumqve glutinationem erant proni, cum ſenſu perpetuo velut ſabuli iisdem adhærentis, ad qvod extergendum inde urgebatur. Ceterum oculi ſemper fuere ſicci, nunqvam humidi, raroqve

madentes, mane a somno ægre aperiundi; sicco digito perfricti facile rubuere cum pruritu ardente, &c. Alterum vero casum suppeditavit B ... (*l*), nempe vir 48 annos natus, a 7 annis viduus, mense Decembri 1758 observavit in interno dextri oculi cantho discum obscurum ab imo sursum attolli, nullo extrinsecus conspicuo vitio, qvi a læva ex imo obliqve dextrorsum ac sursum, fere lunæ more ante solem in eclipsi, sat velociter progrediebatur, inqve progressu $\frac{1}{5}$ $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{3}$ oculi partem tegebat cum ea visus imminutione, ut non nisi e latere aliqvis superesset visus. Initio discus aliqvatenus erat pellucidus; objectaque velut trans lentem vitream, minora tamen, videri poterant, qvod præsertim in lectione librorum observare fuit. Verum haud ita multo post occipiebant objecta qvæque curva ac interrupta apparere: calamus, regula, circinus diductus, &c. mera græca ξ numerosa referebant. Pelluciditas disci brevi minuebatur, colore ejus effecto viridi aut ferme cœruleo, & opacitas qvotidie increscebat, disco tamen continuo rotunditatem retinente, donec color ejus profunde cœruleus omnis lucis ra-

---

(*l*) Fränk. Samml. 5 B. 28 St. No 4. p. 298. sqq.

dios excluderet, oculumque totum, omni licet labe extrinsecus carentem, usque adeo obtegeret, ut demum debilissima tantum coruscatio e latere ab objectis ad dextram hujus oculi sitis radios immitteret, qvæ tamen momento evanescebant, dum oculus versus illa distinctus intuenda dirigebatur, eorumqve loco tenuis lux ab objectis ulterius dextram versus sitis oculum aliqvatenus subibat, qvæ perinde, promoto magis versus illa oculo, evanescebant. Qvinqve aut sex diebus post, qvam discus ille apparuit, & ubi jam ad ⅔ oculum occupavit, intra 24 vel 30 horas aliud spectaculum oculos morabatur, scilicet discus dictus colorem Choccolatæ exacte æmulabatur, dextro suo margine limbum exilem rubeum, optimi rubini instar, exhibens: deinde autem intra 6. 7ve a morbi principio dies plena cœcitas est consecuta. Primis 4 vel 5 mensibus æger præter bina qvalibet hebdomade pediluvia, hirudinemqve prope dextrum oculum semel admotam, nullis usus est remediis, ab his tamen remisit parumper malum, ut oculi læsi dimidium dextrum distinctius videret, altero dimidio lævo fere inutili manente, visio tamen dextri dimidii veluti trans nebulam aut plura plana obscuri vitri sibi superimposita debilis erat. Mense Aprili vel Majo appare-

bant omnia objecta cana; donec tandem ſuccederet oculi affecti vix non plena cœcitas. Lucentia corpora, v.g. candela, luna, utroqve oculo aperto duplicata apparuere, ſed ita, ut qvod eorum ad oculum dextrum pertinebat, obſcurius nebuloſumqve eſſet, ſitu humilius, verſus lævam alterius luminis ad ſanum oculum pertinentis & clari, ita ut ſpectrum, facie meridiei obverſa, huic orientem verſus, converſa vero ad ſeptemtrionem, iſti verſus occidentem ſubjaceret. Qvod ſi æger caput cum tota ſuperiori parte corporis violente converterat, obſcurius illud ſpectrum circa veram luminis imaginem movebatur, deſcripſitqve arcum qvadrante circuli majorem, ac veræ imagini verticaliter ex altitudine aliqvot pollicum imminebat. Poterat etiam æger utramqve imaginem, prout oculum convertebat, ſatis vicinam ſibi jungere, qvæ tamen, oculo libere ſibi relicto, celeriter ab ſe recedebant. Clauſo autem oculo ſano dextri oculi viſus erroneus in aliis etiam, qvam ſolis lucentibus, corporibus obſervabilis fuit: namqve v. g. lunam tubo ita intuens, ut eam lævus oculus non videret, efficere qvivit, ut dexter oculus ipſam e ſiniſtro tubi latere profunde ſitam, ſed obſcure & incurvam conſpicaretur. Præceſſit hoc malum vehementiſſima

totius lateris dextri faciei, præfertim circa oculum, contufio cruenta e lapfu præcipiti, & faciei ad tubum metallicum allifione, ante 4 menfes tolerata. Ex his ergo fatis liqvet, apparentibus hujusmodi idolis non inanem effe metum amaurofeos fecuturæ; qvam etfi nunqvam fecutam obfervaverit L. HEISTERUS (*m*), contrarium tamen & BOERHAAVE (*n*) & citati ante cafus perfvadent: qvamqvam etiam verum fit, multos annos id genus fpectra adeffe poffe, anteqvam amaurofin accerfant. Et hæc forte eft ratio, cur ifthoc mali genus nonnulli velut diverfum ab amaurofi morbum fpectarint, feorfimqve ab illa pertractarint, ut H. BOERHAAVE (*o*), H. F. DELIUS (*p*), BERGEN (*q*), MEISTER, (*r*), &c. Apud qvos proinde argumentum hoc uberius videri poterit. Sed binos huc mirabiles cafus, qvos S. YVES memoriæ prodidit, adji-

(*m*) l. c.

(*n*) l. c. §. 84. 88.

(*o*) Ibidem cap. 1. §. 78. fqq.

(*p*) Diff. phantasmata ante oculos volitantia affectus oculor. fingularis. 4° Erlang. 1751.

(*q*) Diff. de maculis, punctulis, fcintillis, aliisqve corpufc. vifui obverfantib. 4° Francof. 1747.

(*r*) Hamburg. Magazin 23 B. 3. St. p. 227.

cere viſum eſt, nempe homo ſole aprico fraga colligens amblyopia bimeſtri correptus eſt, qvo tempore fragum depictum perpetuo ejus oculis obverſabatur (s). Porro juvenis Canonicus amauroſi imperfecta unius oculi cum ejus pupilla $\frac{1}{4}$ partem nativæ contractionis tantum habente laborans, dum oculo ſano clauſo cœcutientem ad legendum adhiberet, pro litteris earumqve ſeriebus nil niſi lineas nigras conſpicabatur, qvarum in medio proprii oculi imaginem uſqve adeo determinatam videbat, ut & iridis colorem & radiorum qvorumdam per eam tranſeuntium ſitum exacte teneret. Uſu catharticorum, refrigerantium, & ſpirituoſorum collyriorum, intra 30 dies ſpectrum evanuit, viſusque acies priſtina rediit (*t*). Et PETITUS qvoqve eundem ab ſe morbum obſervatum Cl. Auctori teſtatus eſt (*u*).

c) *Splendores* varii, ut ſcintillæ, ignes, colores, jubar lucis &c. Hujusmodi autem lucentia ſpectra cum naſcentem tum

(s) Tract. von denen Krankheiten der Augen 2. Th 33 Cap. §. 2. p. 345.
(t) Ibidem 28 cap. §. 7. p. 327. ſqq.
(u) Ibidem §. 8. p. 328.

absolutam qvoqve amaurosim comitantur: priori in casu scintillas sibi ex oculis erumpere E. GOCKELII (*x*) & WEBERI (*y*) ægrotæ qverebantur, qvas easdem in igneos sensim globos mutatas BARTHOLINI (*z*) navarchus videbat, cujusmodi globos & DONATI (*a*) mulier, & SACHSII (*b*) chirurgus se videre narrabant. Ignes varii coloris CONSBRUCHII (*c*) sartoris oculis obversabantur, & A. G. RICHTERUS (*d*) „ virum vidit amaurosi incipiente laborantem, qvi subito sibi sæpe splendorem magnum instar luminis borealis ante oculos surgere, mox iterum evanescere dicebat„: cujus generis forte & ii splendores fuerint, qvi feminam SACHSII (*e*) perpetuo molestabant. RICHTERUS (*f*) porro „ feminæ cataractam extraxit, qvæ aliqvem, minimum tamen, lucis sensum superstitem

(*x*) Consil. & Obs. med. No 2.
(*y*) Vide §. 70. 103. A. No 8.
(*z*) Vide §. 57. No 1.
(*a*) Ibidem.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide §. 74.
(*d*) l. c. p. 69.
(*e*) Vide §. 57. No 1.
(*f*) l. c. p. 67. sq.

„ habebat, muſcasqve igneas punctulaqve „ flava ante oculos ſibi ſæpiſſime volitare „ conſitebatur. Qvamvis facillime blandiſſi- „ meqve perageretur operatio, prorupit „ tamen portio humoris vitrei inſignis te- „ nuitatis. Reſtituta poſt operationem vi- „ dit tantillum, qvamvis patula puraqve „ pupilla eſſet; perdidit tamen intra ½ an- „ num recuperatam videndi facultatem ſpon- „ te, & perfecta amauroſi tandem occœca- „ ta eſt „. ESCHENBACHII (g) qvo- qve juveni per initia amauroſeos diſcus luci- dus ob oculum læſum verſabatur. Iis vero, qvi perfecta jam amauroſi laborant, plerum- qve apparitiones vel colorum vel jubaris ſo- laris illudere ſolent. Sic LENTILII (h) mulieri noctu interdum fulgor qvaſi ſubitaneus utrumqve oculum perſtringebat. Apud M. DONATUM (i) „ Comitiſſa . . . cum plu- „ ries oculorum infl. laboraſſet, . . . in utrius- „ qve pupillæ dilatationem incidit: cumqve „ etiam & hypochondriacam affectionem pa- „ teretur, . . . multoties incipientis ſuffuſio- „ nis (amauroſeos) accidentia patiebatur;

(g) Vide §. 27. No 4.
(h) Vide §. 60. No 5. d).
(i) De medic. hiſtor. mirab. L. 2. C. 9. p. m. 79.

„ nonnunqvam qvædam piliformia, alias
„ veluti lanarum filamenta, ac veluti ara-
„ nearum texturas, muſcasve & culices,
„ hujusmodiqve idola præ oculis obſervari
„ conqverebatar. Verum cum indies...
„ pupillæ mydriaſes augerentur, ferme in-
„ tegra cœcitate correpta fuit, ut nihil
„ præter tenebroſas nebulas, modo rariores
„ modo denſiores, cerneret. Cumqve jam
„ tertius ageretur annus a die, qvo in hu-
„ jusmodi malum inciderat, derepente Ja-
„ nuario menſe jam occidente ſole a mulie-
„ ribus ancillis percontari cœpit, an ſolares
„ radii thalamum illuminarent? ſe enim
„ undiqve ſplendores intueri affirmabat, qvi
„ fere penitus paucum, qvod illi reliqvum
„ videndi munus erat, adimerent. Nocte
„ tota, etiam clauſis feneſtris, nec dum
„ luminaribus accenſis, ſe nihilominus ſub
„ ſole verſari affirmabat, & adſtantium um-
„ bras in ſole videre „: qvo ſymptomate
pluries per ſeqventes dies & menſes poſtea
vexabatur. Haud ſecius L. HEISTERI (*k*)
Pyrotechna ſimile malum eſt expertus, qvi
viſu oculi ſiniſtri, cujus cornea tota flava &
opaca evaſit, ex inflammatione amiſſo, octo

(*k*) l. c. 2 Band No. 283.

poſt annis, dum tonante cœlo in vallum conceſſiſſet, ibidem oculi etiam dextri, hactenus ſani, viſum repente omnem prorſus perdidit, vehementiſſima ſubſeqvente cephalalgia, qvæ etſi ad efficaciſſima cum interna tum externa remedia, ut ſangvinis miſſiones, veſicantia, ſetaceum, &c. remiſerit, nunqvam tamen ex integro deſiit, viſu interea nullatenus emendato. His aliud acceſſit crebrum ac diuturnum ſymptoma, nempe non interdiu modo ſed noctu etiam ſumma lucis claritas oculis affulgebat, velut a ſole in eosdem reſplendente, qvæ noctu ingruens omnem arcebat ſomnum, ut homo vel nullatenus vel vix horam dormire qviret; ſiqvidem ſenſatione hujus claritatis ſtatim expergiſceretur, neqve ab eadem decubitu in faciem oculosqve ſe tueri poſſet. Porro continua fere vertigo aderat uſqve adeo, ut dum filio duce ambulabat, non recta progredi, ſed ab illo in eadem ſtatione ſe velut circa centrum in gyrum duci crederet. Poſtremo autem dextro in oculo verum apparuit glaucoma; etenim opacitas non convexa & procul pone pupillam poſtrorſum viſebatur. Sed longe mirabilior eſt apud eundem (*l*) amau-

---

(*l*) Ibidem No. 453.

roticæ mulieris caſus: hæc alternis diebus, clauſis etiam oculis, ac noctu qvoqve, binos colores, album videlicet ac rubrum, videre ſibi videbatur, hunc uno, illum altero die, idqve exactiſſima periodo, ita ut hora 5ª matutina idea poſterioris priori ſemper ſuccederet, duratura ad eandem inſeqventis diei horam. Qva die autem omnia ſibi rubra videbantur, aderat triſtitia, anxietas, & cordis oppreſſio; dum periodo coloris albi durante eſſet hilaris. Omnia hæc 4 menſes durarunt citra ullum aliud febris indicium. Lucidorum id genus ſpectrorum uberiorem doctrinam, nec non varias de illorum cauſis conjecturas apud H. BOERHAAVIUM (*m*) videre eſt.

d) *Viſio objecti duplicata*, multiplicata, aliterve erronea, non raro inter prima amauroſeos naſcentis phænomena eſt obſervata. Apud F. HOFFMANNUM (*n*) „ vir 30 annorum 6 circiter abhinc annis „ corpus fortiori labore & exercitio vehe„ menter commotum ſubitaneæ expoſuit re„ frigerationi: unde dolorem qvemdam gra„ vativum capitis, & accedente oculi dex-

(*m*) l. c. cap. 2. §. 92. ſqq.

(*n*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 4. Obſ. 1.

„ tri contusione, magnam in ipso visus imbe-
„ cillitatem, nullo externe adparente vi-
„ tio, sensit. Variis igitur usus est reme-
„ diis, vesicatoriis, fonticulis, collyriis, at-
„ qve purgantibus; sed sine ullo effectu.
„ Ante biennium accedebat scabies, & post
„ hæc ad sinistrum qvoqve oculum transi-
„ bat vitium, dum non modo visio valde
„ imbecillis esset, verum etiam scintillulæ
„ maculæqve dicto obversarentur oculo, ei-
„ demqve omnia duplicata adparerent obje-
„ cta. Præterea aurium gravi tinnitu, sto-
„ machi magna debilitate, ructuosis ac fla-
„ tulentis molestiis, alvi obstructione, do-
„ loribusqve artuum tractoriis vexabatur;
„ vultus lividum præ se ferebat colorem,
„ & vitæ genus sedentarium, multis ingenii
„ laboribus ac scriptionibus implicatum con-
„ tinuare non desinebat„. Perinde I. L. SCHMUCKER (o) curavit supremum vigiliarum Præfectum eqvitatus Hungarici, qvi pro ternis qvadrati sui agminis seriebus senas semper videbat; nec non & alium, qvi pariter omnia duplicata videbat. Narrat qvoqve (p) juvenem 26 annorum, jam

---

(o) Vermischte chirurg. Schriften 1 artic. p. 12.
(p) Ibidem p. 13.

annuam amaurosin tolerantem pro visu opem qvæsivisse, qvi ante cœcitatem observavit, post validiorem motum sibi primum visum fuisse hebetatum, deinde vero qvælibet objecta apparuisse duplicia. Ad minimum motus sangvinis augmentum maculas nigras ante oculos conspicabatur; donec demum penitus visu orbatus fuisset. Vasa choroideæ tantopere habuit distenta, velut si materia ceracea fuissent repleta, & cœcitas ejus erat immedicabilis. Haud secius duplicata objecta videbant GRASSIUS (*q*), juvenis BRIGGSII (*r*), HEERII (*s*) medicus, musicus MUZELII (*t*), ac RIEDLINI (*u*) bibulus; multiplicata vero præter MUZELII (*x*) podagricum etiam ESCHENBACHII (*y*) mercatori apparebant. Reliqva vero visus erronei vitia sunt, dum objecta ægris apparent vel fracta, ut feminæ HANNEMANNI (*z*), vel alieno

---

(*q*) Vide §. 87.
(*r*) Vide §. 37. a).
(*s*) Vide §. 30. b).
(*t*) Vide §. 111.
(*u*) Vide §. 35. a).
(*x*) Vide §. 111.
(*y*) Vide §. 27. No 4.
(*z*) Vide §. 114.

loco ſita, ut HEERII (*a*) medico, vel inverſa, ut binis ægris MUZELII (*b*), vel omnia eundem habentia colorem, ut viro WEPFERI (*c*), cui cuncta cœrulea eſſe aut viridia videbantur, &c.

§. 17.

3. PUPILLARUM *vitia* amauroſi ſolennia maximam merentur attentionem; qvippe qvæ rite obſervata maximi in morbi diagnoſi cum abſoluta tum relativa (*d*) ſint momenti: qvatuor autem præprimis ſunt, qvæ pupillas amauroticas ab ſanis diſtingvunt, nimirum earum diameter, mobilitas, figura, color.

a) *Diameter* ſeu amplitudo pupillæ in oculo amaurotico fere ſemper eſt major ſolito, velut in DONATI (*e*) matrona, GRASSIO (*f*), ægroto MORGAGNII (*g*),

(*a*) Vide §. 30. b).
(*b*) Vide §. 111.
(*c*) Vide §. 57. No 1.
(*d*) Vide §§. 54. 55.
(*e*) Vide §. præced. c).
(*f*) Vide §. 87.
(*g*) Vide §. 32.

&c.

&c. qvæ interdum usqve adeo est diducta, ut iris pene omnis evanescat, qvemadmodum in FLOYERI (*h*) infante, RICHTERI (*i*) juvene 24 annor. ac PLATERI (*k*) homine. Vitium isthoc peculiare morbi genus est ab amaurosi prorsus diversum, id qvod „ μυδρίασιν Græci vocant. Pupilla diffunditur „ & dilatatur, aciesqve ejus hebescit, ac „ pene caligat„ inqvit CELSUS (*l*). Verum qvod sæpe alias CELSO accidit, ut morbum unum cum altero confunderet, etiam hic μυδρίασιν cum impotentia videndi unum in morbum conflavit; a qvo eodem errore nec ORIBASIUS (*m*), nec AETIUS (*n*), nec AEGINETA (*o*), nec ACTUARIUS (*p*) sibi satis caverunt. Enim vero potest mydriasis citra ullum visus vitium præsto esse; qvem enim latet, verminosis haud raro aut alterutram aut utramqve pupillam illæsa vi-

(*h*) Vide §. 106.
(*i*) Vide §. 66. No. 2.
(*k*) Vide §. 47. b).
(*l*) l. c. §. 37.
(*m*) Synops. L. 8. C. 44.
(*n*) Tetrabibl. 2. Serm. 2. C. 52.
(*o*) l. c.
(*p*) Meth. medendi L. 2. C. 7.

ſus acie diffundi (*q*)? Facit huc in primis matrona G. SCHUBARTI (*r*), qvæ poſt aliqvot annorum ſterilitatem e diu ſuppreſſis menſibus in cachexiam primum incidit, a qva aliqvatenus ſanata anno inſeqvente e febre continua decubuit cum gravi & continua cephalalgia, nec non diarrhœa periculoſa. Febre decedente pupillæ utriusqve oculi cœpere ſupra modum & magnitudinem naturalem dilatari ac tumeſcere, aſt ſine notabili læſione viſus (ut qvi ne imminueretur qvidem): paulo poſt per intervalla, prævio moleſtiſſimo pruritu, ex levi frictione ſeroſi humoris ſæpe ℔ j. & amplius etiam, alias vero minus, intra 24 horas effluxit. Tentatis variis externis juxta ac internis fruſtra remediis, tandem fonticulus inuſtus ſeri effluxum ad ſe avertit; at horribilis illa aſpectu pupillarum diffuſarum intumeſcentia manſit immedicabilis. Plura huc facientia apud B. MAUCHART (*s*) videre eſt. Hinc igitur liqvet, mydriaſin ſui generis eſſe morbum atqve ab impotentia viſus qvacunqve prorſus diverſum, poſſeqve mydriaſin citra amauroſin ſeu

(*q*) VAN DEN BOSCH hiſt. epidem. verminoſ. C. 4. S. 7. p. m. 329.

(*r*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 2. obſ. 260.

(*s*) Diſſ. de Mydriaſi. §. 36. Caſ. 1. 2.

inchoatam ſeu abſolutam accidere, qvemadmodum & hæc citra illam eſſe, ut paulo poſt dicetur, poteſt. Qvid qvod obſervatum amauroſeos genus eſſe velit SAINT YVES (t), in qvo tantum abeſt, ut pupilla ſit diffuſa, ut multo potius ſit ſolito arctior. Qvod vitium *myoſis* aut *metoſis* nuncupatur. Perinde RICHTERUS (u) „ neqve qvando immobilis eſt pupilla, dilatata præter modum ſimul ſemper ea eſt (ait). Bis vidi „ illam immobilem & ſimul præter modum „ contractam, aliqvando etiam naturalis „ amplitudinis fuiſſe „. Eapropter cum mydriaſis tum myoſis amauroſi ut ſymptoma junctæ eſſe poſſunt, qvin tamen alterutra earum ſemper præſto eſſe debeat.

b) *Mobilitas* porro iridis adeo in amauroſi vulgo perit aut minuitur, ut hujus illa velut pathognomicum ſignum a BOERHAAVIO (x), HEISTERO (y), S. YVES (z), aliisqve habita fuerit. Nam cum, ut ſuperius (a) dictum, ante BOERHAAVIUM

(t) l. c. 27 cap. §. 9.
(u) l. c. p. 65.
(x) Vide §. 2.
(y) Ibidem.
(z) l. c. Beſchreib. des Auges 8 cap. §. 3.
(a) Vide §. 1. 2.

passim omnes amaurosin vocarent cœcitatem citra conspicuum in oculo vitium, primus BOERHAAVIUS observavit pupillam cœci oculi esse immobilem. In imperfecta vero amaurosi cum aliqvid ex visu sit reliqvum, etiam iridis aliqva superest plerumqve mobilitas, qvam S. YVES (*b*) visui superstiti proportionatam semper esse voluit „ e numerosis (inqviens) observationibus didici, diversos imminuti visus gradus nunqvam „ non cum gradibus diversis imminutæ mobilitatis iridis adeo congruere, ut ex hisce indagatis fere semper de visus magnitudine recte judicarim citra præviam ægri „ narrationem. Porro etiam observavi, amisso visu plerumqve aut diductam manere „ pupillam aut admodum coarctatam, atqve „ ad qvosvis luminis gradus esse immobilem„. Ac paulo post (*c*) pro visu varie imminuto aut prorsus amisso determinando seqventem canonem inde eruit: si clausis oculis, qvi affectus est, post palpebram superiorem pollice in gyrum perfrictam subito rursus in adversum lumen aperiatur, ejusque pupilla motu iridis evadat $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ $\frac{1}{4}$ &c. vel minor ex am-

(*b*) l. c.
(*c*) Ibidem §. 11. 12.

plissima prius, vel major ex arctissima, tantumdem etiam huic oculo superest de visu, qvantum ejus pupilla se vel diduxit ex arctitudine, vel ex amplitudine coarctavit; qvod si vero oculi, cujus pupilla amplior arctiorve solito est, iris hoc in experimento sit prorsus immobilis, etiam visus in eodem ut plurimum nullus est, nisi rarissimis in casibus. Monente vero A. MAITRE-JEAN (*d*) semper ad id est respiciendum, unusne an uterqve oculus amaurosi sit affectus? Priore enim in casu pupilla oculi affecti non semper, sed clauso tantum sano oculo, est aut solito langvidior aut immobilis; utroqve autem oculo aperto ac sibi relicto pupilla oculi amaurotici seqvitur e consensu motum pupillæ sanæ, ut ita oculus æger ab sano vix discerni qveat. Qvocirca ut S. YVESII canoni sua constet veritas, oculum sanum sub examine læsi oportet esse atro qvodam corpore contectum. Si jam canon memoratus ad limam experientiæ omnis ævi revocetur, haud est inficiandum, hanc illi ut plurimum (nam & S. YVES etiam rem ut plurimum tantum dixit obtinere) suffragari, qvemad-

(*d*) Von den Krankh. des Auges 2 Th. 4. C. No 1, p. 274.

modum perfectæ in primis amauroseos casus id evincunt, v. g. ut erant complures ægri COLLINI (*e*), puellæ FOURNIERII (*f*), GOHLII (*g*), HEYI (*h*), HOFFMANNI (*i*) septennis, ac WATSONI (*k*), tum ISENFLAMMII (*l*) matrona, HEYIque (*m*) fossor, ac viri GEACHII (*n*), HOFFMANNI (*o*), PÜSCHELII (*p*), SCHMUCKERI (*q*) bini, & SIGELII (*r*), &c. Sed sunt nihilominus casus, iiqve haud ita pauci, qvi ab eo canone abludunt, cum perfectæ tum nascentis etiam amauroseos. Etenim si nascentis observationes, qvæ exstant, inspiciantur, haud raro mobilitas iridis aut major est superstite visu, aut minor:

(*e*) Vide §. 79. B. sqq.
(*f*) Vide §. 112. a).
(*g*) Vide §. 98. No. 1.
(*h*) Vide §. 106.
(*i*) Vide §. 38. b).
(*k*) Vide §. 40.
(*l*) Vide §. 60. No. 4. c).
(*m*) Vide §. 106.
(*n*) Vide §. 43.
(*o*) Vide §§. 44. 58.
(*p*) Vide §. 66. No. 5.
(*q*) Vide Histor. 8. 9.
(*r*) Vide §. 105.

major utiqve fuit in juvene CAMERARII (*s*), HALLERI (*t*) fexagenario, pueroque HOFFMANNI (*u*), nil nifi lucem a tenebris difcernentibus; contra ea matronæ DEMOURSII (*x*) pupilla cum effet ampliffima immobilisqve, objecta nihilominus mediocris magnitudinis vidit, minora licet, qvam par erat, ac velut trans peplum. Perinde ESCHENBACHII (*y*) mercator per dextram pupillam diffufam ac vix mobilem objecta eminus fita rite difcernebat. Haud fecius in MUZELLII (*z*) mufico cum effet pupilla dextra ampliffima, exiguæque mobilitatis iris, vifus tamen non tam hebetudine, qvam objecta duplicata inverfaque ac diffita admodum exhibendo potius, peccavit, & rediens iridi motus nil emendabat aliud, qvam qvod duplicata objecta & inverfa minus jam ab fe, qvam ante, viderentur diftantia. Sic etiam ejusdem (*a*) podagricus cum ampliffima ac pene immobili pupilla multipli-

(*s*) Vide Hiftor. 1.
(*t*) Vide §. 90.
(*u*) Vide §. 104.
(*x*) Vide §. 44.
(*y*) Vide §. 27. No 4.
(*z*) Vide §. 111.
(*a*) Ibidem

cata non nisi objecta viderat. Deniqve PLATERI (*b*) æger haud nisi paulo minus se oculo affecto præ sano videre ajebat, cujus pupilla diffusissima erat, & aliqvando solummodo motus ejus in iride observabatur. In absoluta porro amaurosi non desunt exempla iridis sanorum instar mobilis. Sane A. G. RICHTERUS (*c*) „ vidit ... non raro ... „ perfectissima amaurosi occœcatos, qvorum „ pupilla mobilis erat, & ad minimum lu- „ cis attactum valde vivideqve se constrin- „ gebat. .. Immo, qvod mirum est, ali- „ qvoties vidit sub usu medicamentorum, „ qvibus visum restituere studebat, perdi- „ tam redire pupillæ mobilitatem, visu haud „ redeunte „ : qvod in primis ejus in viro 52 annorum observare fuerat (*d*); juveni vero Hildesiensi (*e*) utroqve oculo capto pupilla erat jam ante remediorum usum mobilis; & potatori alternis diebus amaurosin perfectam pati solito iris in accessionibus æqve ac extra easdem contrahebatur (*f*). In

(*b*) Vide §. 47. b).
(*c*) l. c. p. 63.
(*d*) Obs. chir. fasc. 1. C. 13. Obs. 8. p. 148.
(*e*) Vide §. 66. No 2.
(*f*) Vide §. 90.

juvene etiam HAENII (*g*) amaurosis ejusmodi erat, ut noctem inter diemqve nihil distingveret, summam tamen agilemqve pupillæ utriusqve constrictionem & dilatationem ad majus minusve lumen haberet. Bis qvoqve I. L. SCHMUCKERUS (*h*) amaurosin perfectam cum pupillis mobilibus observaverat. H. J. JANINI (*i*) puer novennis a semestri cœcus tenebris usqve adeo immersus fuit, ut clarissima in luce collocatus ne minimum qvidem ejus effectum persentisceret: nihilo tamen secius pupillarum diametri erant secundum naturam, ac pro luminis admissi intensitate velut in sanis variabiles; qvippe qvæ interceptis prætensa oculis manu radiis luminis magis sese diffuderint, ablataqve manu denuo se contraxerint. Oculi aspectu nitidissimi exqvisito visu pollere videbantur. Perinde (*k*) Domina DE LA VANNE ad 32 annos nata, jam inde a pubertate hystericis affectionibus obnoxia, a triennio visu caruit.

(*g*) Vide §. 116.

(*h*) l. c. p. 13.

(*i*) Abhandl. u. Beobacht. über das Auge, u. dess. Krankh. 2 Th. 11 Abtheil. 1 Beobacht. p. 371.

(*k*) Ibidem 2 Beobacht.

Oculi ejus ſpectata ſeu fabrica, ſeu claritate humoris aqvei pellucidarumqve partium, ſeu iridis mobilitate, optime conſtituti videbantur; ſoli tamen ſæpius expoſiti inter clariſſimam ejus lucem tenebrasqve ſpiſſiſſimas ne minimum qvidem diſcrimen percipiebant, ut ut iris utriusqve oculi ea fuerit mobilitate gaviſa, ut pupillas ad lucem clariorem conſtringeret, relaxaret ad obſcuriorem, haud ſecius ac ſi optimus præſto fuiſſet viſus. Ipſi qvoqve s. YVESIO (*l*) id multo crebrius, qvam qvidem ejus canon admittat, obſervandum videtur occurriſſe, præſertim in amauroſi monocula; nam „ ſi amauroſis (ait) „ citra cephalalgiam alterutrum tantum oculum invaſit, ejus vitium detegi neqvit, „ qvamdiu ambo oculi ſunt aperti: at clauſo oculo ſano, pupilla affecti continuo „ dilatatur, etiam ſi luci ſit obverſa, manetqve eodem hoc in ſtatu, uſqve dum ſanus oculus rurſum aperiatur, qvo facto „ pupilla oculi affecti dilatata ad menſuram „ pupillæ oculi ſani, ob mutuam vim, ſeſe „ coarctat. Hoc unico ſigno cognoſcitur, „ oculo læſo nullum amplius ineſſe viſum: „ qvod etiam ſignum amauroſi uſqve adeo

(*l*) l. c. 2 Th. 27 Cap. §. 8. p. 319.

„ eſt proprium, ut ne in glaucomate qvidem præſto ſit, ſiqvidem in iſto ſemper diffuſa maneat pupilla „. Tametſi vero hic genuinum glaucoma inter ac amauroſin diſcrimen ab S. YVESIO adſtructum oppugnandi locus idoneus non ſit, id unum tamen qværere haud præterierim, qvodnam demum S. YVES tribuiſſet diſcerniculum glaucomatis a perfecta utriuſqve oculi amauroſi, qvandoqvidem etiam in hac pupillæ ambæ ut plurimum & diffuſæ ſint, & prorſus immobiles? Porro glaucomane ex amauroſi natum continuo dicendum ſit, dum perfecta amauroſis unum primum oculum, tum aliqvo poſt tempore alterum qvoqve invadens, nullo alio accedente vitio ſenſibili, utramqve pupillam & diducit, & immobilem reddit, ut ut ante pupilla oculi primum læſi motum pupillæ ſanæ e conſenſu habuerit? Ne S. YVES qvidem, ut opinor, poſtremum hoc dixiſſet. Nobis profecto, ſi glaucoma uſpiam accidit, alia illius opus eſt, qvam S. YVESII, diagnoſi. Interea vero ex hactenus in medium allatis liqvet, imminutum abolitumve pupillæ motum haud eſſe phænomenon amauroſeos pathognomicum, ut qvi & abeſſe poſſit, & non pro ratione imminuti viſus adeſſe; qvandoqvidem & præſente pupillæ diffuſæ immobilitate viſus conſtare, & iſto penitus

exſtincto illa velut in videntibus & arctari & diduci ſolet, & langvidior pupillæ motus cum viſu aut prorſus nullo aut majori, qvam langvidus pupillæ motus promittat, fuerat obſervatus. Varius hic pupillæ cum amauroſi ſtatus huc uſqve Anatomicorum induſtriam ac Phyſiologorum ingenia haud mediocriter torſit, in veram ejus cauſam indagantium. I. L. SCHMUCKERUS (*m*) cito ſe ex hac difficultate expedit dicens: iridem, qvæ pupillam effingit, eſſe choriodeam continuam; hujus nervos, a qveis motus iridis pendet, e ganglio lenticulari proficiſci, nullumqve iis cum nervo optico eſſe commercium: hinc evenire poſſe, ut vel ſoli iridis, vel ſoli optici nervi, vel utriqve dato tem pore inefficaces reddantur, primoqve in caſu adfore viſum, licet pupilla ſit diffuſa ac immobilis, in altero vero contrarium eventurum, in poſtremo deniqve cœcitatem adfore cum pupilla ſimul ampla & immobili. Sed ut de iridis e choroidea continuitate (licet JANINI (*n*) experimento contrarium ſit evictum) dicam nihil, nimis confidenter Cl. Vir nervis ciliaribus iridis cum optico nervo com-

(*m*) l. c. p. 14.
(*n*) l. c. Introduct. No. 17. p. 10.

mercium nullum esse asserit: nullum esse hactenus Anatomicorum industria detectum, nemo inficiatur; sed qvoniam nullum dum ciliares nervos inter opticumqve detexere Anatomici commercium, num propterea reapse est nullum? Verum ut id etiam Cl. Auctori demus, haud aliud ejus e verbis eruitur, qvam solus modus, qvo alterutrius aut utriusqve vitii præsentia explicatur. Ast plus utiqve hic pathologi desiderant, nimirum qvænam sit causa, qvæ jam solos vel opticos vel ciliares lædit nervos, jam utrosqve? & qvi id ipsum ab hac causa efficiatur? Haud dubie H. J. JANINUM (*o*) secutus est SCHMUCKERUS in memorata phænomeni explanatione, qvam ille dedit eandem, nisi qvod iridem neget esse choroideæ continuam. Neqve feliciores in eodem hoc phænomeno explicando fuere, qvi visus organum non opticum nervum, sed choroideam esse volebant, qvorum in numero S. YVES (*p*) qvoqve fuit; namqve illorum in sententia difficulter ratio redditur, cur in amaurosi perfecta pupillæ interdum suam retineant mobilitatem?

(*o*) l. c. 2 Th. 11 Abtheil. p. 372.
(*p*) l. c. Beschr. des Auges 8 Cap. §. 4. sqq. p. 47.

c) *Figura* qvoqve pupillarum amauroticarum interdum ab ea, qvæ ſanis eſt propria, abludit; nam cum pupilla tantum non ſemper circularem ſuam retineat figuram, aliqvando tamen hac amiſſa evaſit oblonga, velut in viro RICHTERI (*q*), ac DEMOURSII (*r*) matrona: huic illa morbo curato ad priſtinam formam rediit, illi cum ipſo morbo oblonga manſit.

d) *Color* deniqve pupillæ amauroticæ conſiderari meretur, ut qvi non omnibus in ægris idem ſemper ſit, & ad diagnoſin, ac forte ipſam etiam prognoſin, rite inſtituendam non ultimi ſit momenti. Vulgo amauroſis „ a nonnullis dicitur ſuffuſio nigra, „ & Germanis audit *der ſchwarze Staar*, „ qvod propterea factum exiſtimo, inqvit „ L. HEISTERUS (*s*), qvia pupilla nigra „ atqve ſerena manet, cum in vulgari ſuffu- „ ſione nigritiem mutet. Nonnulli etiam „ afferunt, pupillam nigriorem evadere; „ qvod vero vix verum eſt, niſi pupillam „ majorem intelligant „. Splendidiſſimi ſane nigroris pupilla erat RICHTERI (*t*)

(*q*) Obſ. chir. faſc. 1. Cap. 13. Obſ. 8. p. 148.

(*r*) Vide §. 44.

(*s*) Diſſert. cit. §. 2. p. m. 335.

(*t*) Vide §. 66. No 2.

juveni Hildesiensi, nigra qvoqve GOHLII (u) puellæ, puero LEBENWALDII (x), virginiqve SCHROECKII (y). Sæpissime tamen, notante SCHMUCKERO (z), pupilla, amisso nitente suo venusto nigrore, in pallorem vergit magis, eminus qvoqve ab artis perito observabilem. Sed unus omnium instar A. G. RICHTERUS (a) hanc in rem audiendus: „ colorem pupillæ (inqvit ille) oculi gutta serena adfecti nigrum, sanum, omnisqve vitii expertem esse, pleriqve uno ore adfirmant. Hoc autem assertum magis adhuc, qvam prius (de pupillæ amplæ immobilitate), erroneum esse iterum iterumqve expertus sum. Plerumqve sane splendido illo puroqve nigrore orba est pupilla oculi, qvi amaurosi laborat; langvorem in illo hebetudinemqve loco nitoris illius, qvo gaudet sanus integerqve oculus, qvilibet in illo animadvertet. Aliqvoties tam insignem pallorem pone pu-

(u) Vide §. 98. No 1.
(x) Vide §. 46.
(y) Vide §. 32.
(z) l. c. p. 5.
(a) l. c. Fasc. 2. Cap. 5. p. 65. sqq.

„ pillam percepi, ut, qvod ingenue fateor,
„ dubius aliqvando hæserim, cataractane in-
„ cipiente an amaurosi æger laboret. Faci-
„ lis sane in hoc casu error est, in primis
„ si perfecta non dum est amaurosis, motu-
„ qve adhuc pupilla, luminisqve qvodam sen-
„ su retina gaudet. Plures sane, qvod affirma-
„ re possum, ad me pervenerunt ægri, & me-
„ dicorum svasu, qvi cataracta illos laborare
„ credebant, operationem petierunt. Dubita-
„ vi diu de ortu & natura hujus palloris ali-
„ qvando satis insignis, donec puer aliqvis
„ me adibat, cujus oculos cœcitas singulari sa-
„ ne ratione adficiebat. Albissimus pone pu-
„ pillam & lacteus qvasi color adparebat, cum-
„ qve accuratius oculum inspicerem, totam
„ qvasi illius internam superficiem, retinam
„ albam, vasculaqve in illa rubra, punctula-
„ qve hinc inde dispersa distincte videre mi-
„ hi videbar. Difficile est, singulare hoc
„ explicare phænomenon. An vere hic re-
„ tina translucebat? Ita mihi videbatur. An
„ itaqve pallor ille, qvi tam freqventer in
„ oculis amaurosi adfectis observatur, non
„ opacitati cuidam pallidæ, sed potius re-
„ tinæ paululum translucenti tribuendus?
„ Unde vero nimia hæc oculi pelluciditas?
„ An forsan nimia humorum tenuitas & dis-
solutio

„ solutio arguenda (b)? .... Interim tamen non nego, freqventer etiam pupillam oculorum amaurosi laborantium puro „ illo splendente nigrore præditam esse, ut „ itaqve, siqvid subest huic morbo vitii in „ humore vitreo, id tamen non semper „ subsit„. Qvod ad causam palloris pone pupillam amauroticam conspicui attinet, illum, si qvid video, ab retinæ, colore pallido præditæ, non tam pelluciditate, qvam opacitate potius provenire veri est simile, a qva radii ad oculum spectatoris reflexi colorem ejusdem repræsentant: si enim pellucida sit, radios transmittet, non reflectet. Cur autem in oculis sanis retinæ color ille pallidus a nobis non observetur, præterqvam qvod pupilla sanorum arctior obstet, visionis campum minuendo, probabile admodum est, ut RICHTERUS conjicit, id humoris vitrei dissolutioni tribuendum esse. Qvam conjecturam illud etiam persvadet magis, qvod nonnunqvam aliqva solum retinæ plagula fiat conspicua, a qva nimirum radii reflexi per portionem humoris aqvei jam dissolutam, dum reliqvum ejus adhuc consistens est, ad oculum spectatoris trajiciunt. Sic RICHTERUS (c) „ virum vidit 30 annor. dex-

(b) Vide §. 50. No 2.
(c) l. c. p. 68.

„ tri oculi amaurosi laborantem, cujus reti-
„ næ eam tantum partem, qvæ in oculi an-
„ gulo interno est, æqve distincte ac in
„ priori casu videre sibi videbatur „. Interea non nigra modo aut pallida pupilla est amauroticis, verum rubellum qvoqve colorem interdum in profundum oculi inspicientibus exhibet, velut in SCHMUCKERI (*d*) juvene, qvi vasa choroideæ adeo distenta habuisse dicitur, velut si materia ceracea fuissent injecta; nisi forte qvis vasa hæc non tam choroideæ, qvam qvæ retinam inter humoremqve vitreum reticuli in modum tunicam amphybleſtroiden formant, fuisse malit, qvæ vice qvadam B. S. ALBINUS probe injecta est demiratus (*e*).

§. 18.

4. BULBUS *oculi* læsi haud raro etiam peculiaria symptomata exhibet, cujusmodi sunt:

a) *Siccitas*, qvam insignem experiebatur juvenis CRAMERI (*f*).

b) *Durities* bulbi affecti fere lapidea ad attactum.

(*d*) Vide §. 16. d.)
(*e*) Annotat. Acad. L. 3. C. 14. p. 59. sqq.
(*f*) Vide §. 115.

c) *Varices* venarum albugineæ, qvales in HOFFMANNI (g) ægro videre fuit.

d) *Sabuli ſenſus*, ad qvod extergendum ex oculis HEISTERI (h) æger perpetuo urgebatur. Forte varicibus venarum ſenſatio hæc debetur.

e) *Stridor* bulbi. WEPFERI (i) Eccleſiaſti dum palpebræ premebantur, ſtridorem edebant inſtar axium intra vincula januarum exſiccatorum.

f) *Tumor*, *marcorve*, pro ratione cauſæ, cui morbus debetur: tumor inſignis aderat in bajulo GUERINI (k), &c. Omnia autem hæc aliaqve id genus ſymptomata tum præſertim adſunt, dum inſignis vaſorum bulbi infarctus amauroſin cauſavit.

§. 19.

5. CEPHALALGIA, *Cephalæave* freqventiſſimum eſſe conſvevit amauroſeos ſymptoma, ſimulqve non ſine inſigni varietate,

---

(g) Vide §. 58.
(h) Vide §. 16. b).
(i) Vide §. 37. a).
(k) Vide §. 34.

ſeu tempus ſpectetur, qvo invadit, ſeu duratio, intenſitas, locusve, in qvem deſævit. Haud pauci tamen ſunt amauroſeos ſcriptores, qvi cephalæam inter ejus cauſas maluerunt, qvam inter ſymptomata, relatam, forte qvod viderint legerintqve interdum cephalæam, ut primum amauroſis oborta eſt, deſiiſſe: verum anatome in plerisqve his caſibus inſtituta docuit, manifeſtas in encephalo adfuiſſe cauſas, imo ſui generis morbos, qvorum non cephalæa illa minus, qvam ipſa amauroſis effectus tantum ac ſymptomata fuere. Ut proinde amauroſis non tam a cephalæa qvam a manifeſtis his organicis morbis repetenda ſit. Patebit id ſuis ubiqve poſtea locis. Nunc varietates hujus ſymptomatis, pro eo ac par eſt, expendamus.

a) *Tempus*, qvo dolor capitis affligere occipit, varium omnino eſſe obſervata teſtantur; ſæpenumero enim amauroſin multo ante præcedit, ac vel ex intervallis vel continenter affligit. Sic aliqvot annis in caput mulieris BEHRII (*l*) ſæviit, anteqvam viſum ademit; biennio per periodos

(*l*) Vide §. 73.

ante cœcitatem GOHLII (*m*) adolescentem 15 annor. cum vomitu graviter afflixit; ac perinde diu ante ex intervallis anum KALTSCHMIEDII (*n*) cruciabat, qvod idem experta est matrona SPINDLERI (*o*), licet qvilibet insultus aliqvalem amblyopiam causarit: forte etiam ROTHARTI (*p*) matrona huc est referenda. Haud secius diuturnior dolor præcessit in feminis DONATI (*q*), FORESTI (*r*), GABELCHOVERI (*s*), in gravida GOCKELII (*t*), nec non in adolescente HANNAEI (*u*), HEISTERIqve rustico (*x*) ac binis juvenibus (*y*), tum LAMZWEERDII (*z*) cive, ac scriniario SCHOBERI (*a*), ac deniqve in sexenni

(*m*) Act. med. Berol. Dec. 1. Vol. 5. art. 2. No. 87. p. 88.
(*n*) Vide §. 32.
(*o*) Vide §. 40.
(*p*) Vide §. 60. No. 4. f).
(*q*) Vide §. 57. No. 1.
(*r*) Vide §. 103. A. No 1.
(*s*) Vide §. 45.
(*t*) Vide §. 60. No. 4. f).
(*u*) Vide §. 47. b).
(*x*) Vide §. 27. No 4.
(*y*) Ibidem No. 6. & §. 108.
(*z*) Vide §. 100.
(*a*) Vide §. 31. b).

TIMAEI (*b*) puero, cui poſt 3 hebdomadum cephalæam viſus peribat. Contra ea haud ita multo poſt amauroſis cephalalgiam eſt conſecuta binis in feminis CLAUDERI (*c*), in HEYI ſutore (*d*) ac pannifice (*e*), in HOFFMANNI ſtudioſo (*f*), puella ſeptenni (*g*), pueroqve duodenni (*h*), juvene HÜNERWOLFII (*i*) ac SPROEGELII (*k*), MENTZELII (*l*) puella, ſerva PECHLINI (*m*), ROUXII (*n*) ægra, SCHROECKII (*o*) virgine, viriſqve SIGELII (*p*) uno ac binis TIMAEI (*q*), nec non WANDELERI (*r*) adoleſcente, innumeriſqve

---

(*b*) Vide §. 47. a).
(*c*) Vide §. 57. No. 1.
(*d*) Vide §. 106.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Vide hiſtor. 2.
(*g*) Vide §. 38. b).
(*h*) Vide §. 104.
(*i*) Vide §. 37. e).
(*k*) Vide §. 96.
(*l*) Vide §. 40.
(*m*) Vide §. 60. No. 4 f).
(*n*) Vide §. 32.
(*o*) Vide §. 32.
(*p*) Vide §. 105.
(*q*) Vide §§. 35. a). 37. f).
(*r*) Vide §. 31. b).

aliis. Alias vero capitis dolor cum ipsa amaurosi primum invadit, ut in BLOCHII femina (*s*) binisqve puellis (*t*), & alia COLLINI (*u*), ac mulieribus GÜNZII (*x*), HEISTERI (*y*), WEBERIqve (*z*), & matrona HEYI (*a*), ejusdemqve puella (*b*), tum juvene GOHLII (*c*), fartore HILDANI (*d*), KALTSCHMIEDII (*e*) virgine, puerpera apud MAURICEAU (*f*), ac deniqve in Eqvite MEEKRENII (*g*), qvorum in censum forte etiam TRILLERI (*h*) matrona est referenda. Interdum autem dolor hic serius supervenit, visu jam ante vel exstincto vel hebetato; qvemadmodum accidit juveni BOER-

(*s*) Vide §. 37. e).
(*t*) Ibidem.
(*u*) Vide §. 79. K.
(*x*) Vide §. 63.
(*y*) Vide §. 73.
(*z*) Vide §. 103. A. No 8.
(*a*) Vide §. 106.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide §. 47. a).
(*d*) Ibidem b).
(*e*) Vide §. 70.
(*f*) Vide §. 94. e).
(*g*) Vide §. 47. a).
(*h*) Vide §. 38. a).

NERI (*i*), aulico BRUNNERI (*k*), HEISTERI (*l*) pyrotechnæ, HEYIqve (*m*) fosſori, cui alterum invadenti malo dolor ſe junxit, & matronæ WEPFERI (*n*).

b) *Duratio* porro ejusdem pro vario, qvo cœpit, tempore eſt perinde varia. Etenim ſi cum ipſa viſus imminutione inchoat, raro admodum aut ſua ſponte cedit, aut arte ſe expugnari patitur, ſed plerumqve in diuturnitatem abit, ut ex paulo ante adductis caſibus videre erat. Qvod ſi vero multo ante occeperat, qvam viſus hebetetur, accidit haud raro, ut amauroſis oborta eum ſolvat. Sic in Annalib. Vratisl. (*o*) „ mulier vehementem ſemper cephalæam paſſa, „ ſubito unius oculi viſu tandem orbata eſt, „ cephalæa brevi ceſſante „. Perinde I. L. SCHMUCKER (*p*) „ novit mulierem, multos „ annos cephalæa ad omnia præſidia contumaci afflictam, donec demum amauroſi im-

(*i*) Vide §. 98. No 2.
(*k*) Vide §. 32.
(*l*) Vide §. 16. c).
(*m*) Vide §. 106.
(*n*) Vide §. 60. No. 4. a).
(*o*) Tent. 31. A. 1725. Mart. Cl. 4. art. 15. No. 9. p. 310.
(*p*) l. c. p. 5. ſq.

„ medicabili cum pallore faciei oborta do- „ lor continuo desiit„. Ita s. SCHAARSCHMIDT (q) qvoqve feminam vidit plethoricam, contumaci hemicraniæ obnoxiam, cujus dolor nunqvam ex toto cessabat, sed lenior interdum factus paulo post majore cum vehementia revertebatur; summus erat in orbitæ fundo, totusqve oculus inde, præsertim pupilla, minui videbatur. Tubercula passim in capite emergebant, & vigiliæ sermonesqve præter rationem maniæ metum incutiebant. Frustra variis tentatis, tandem abrasis capillis qvadruplicata charta bibula capiti universo applicata, desuperqve calentissimo metallo, polito caput qvaqvaversum velut lævigabatur. Calore hoc dolor intra 4 vel 6 dies sensim profligatus, rediit somnus, viresqve, & ægra nil jam, nisi stuporem qvemdam externarum partium dolorem perpessarum, oculiqve in affecto latere aliqvam hebetudinem, qverebatur. Utrumqve velut effectus spasmorum diuturnorum habebatur: idcirco tonica in usum vocata sunt. Verum lapsis vix 14 diebus cephalæa pristina cum vehementia revertit, nullo, ne

(q) Medic. u. chir. Nachricht. 3 Iahrgang No. 16. p. 135. sq.

poſtremo illo qvidem, remedio amplius domanda, donec poſt 3 circ. hebdomades ſponte deſiiſſet, relicta tamen poſt ſe oculi unius amauroſi cum paralyſi palpebræ totiusqve dimidii capitis. Idem evenit in BROMFIELDII (*r*) ægra, mercatore ESCHENBACHII (*s*), ac RUMLERI (*t*) cive. Forte & V. RIEDLINI (*u*) cuprifaber hujus eſt loci. Verum fuere etiam, qvos ne oborta qvidem cœcitate dolor hic deſeruit, niſi qvi natura ſua ex intervallis afflixit, cujusmodi doloribus capitis MORGAGNII (*x*) matrona fuit obnoxia, indeqve oriundæ cœcitati haud diuturnæ, ſic ut triduum nihil videret, mox autem, ut ſe dolores remiſere, ſenſim recuperaret videndi facultatem: interdum tamen adhibitis remediis vel utrumqve malum cedit, velut in CAMERARII (*y*) ægro, ac WEBERI (*z*) femina, vel certe capitis dolor, manente amauroſi, ut in I.

(*r*) Vide §. 31. b).
(*s*) Vide §. 27. No 4.
(*t*) Vide §. 39. a).
(*u*) Lin. med. ann. 4. Aug. 14. p. 668.
(*x*) Epiſt. anat. 18. No. 4.
(*y*) Vide §. 76.
(*z*) Vide §. 103. A. No 8.

WOLFFII (*a*) anu 70 annis majori, cui diuturna hemicrania ſiniſtri lateris tandem lævum oculum reddidit amauroticum, in qvem ℥ baccar. lauri ac juniperi inflatus, illita ſimul palpebræ axungia leporis, hemicraniam ita auxit, ut oculus ab aucto humorum affluxu medius crepuerit, multumqve ſangvinis cum humoribus profuderit. Sed vena ſecta debitisqve adplicatis remediis cum hæmorrhagia tum capitis dolor tandem auſpicato deſiit. Aliis contra non cœcitas modo ſed cephalæa qvoqve ad mortem uſqve manet, id qvod ægri BALLONII (*b*), BLOCHII (*c*), BOTALLI (*d*), HILDANI (*e*), PLATERI (*f*), &c. ſunt experti.

c) *Intenſitas* qvoqve non omnibus eſt eadem; nam etſi atrox in pleriſqve eſt dolor, tamen ſubinde etiam levis eſt, ut in puella COLLINI (*g*), gravativus tantummodo fuit in ægris HEISTERI (*h*) ac SI-

(*a*) Obſ. chir. med. Lib. 1. Obſ. 16. p. 54. ſq.
(*b*) Vide §. 31. b).
(*c*) Vide §. 37. e).
(*d*) Vide §. 29. d).
(*e*) Vide §. 47 b).
(*f*) Vide §. 31 b).
(*g*) Vide §. 79. K.
(*h*) Vide §. 73.

GELII (*i*), & in HOFFMANNI (*k*) ſtudioſo cum frontis formicatione conjunctus erat.

d) *Loca* deniqve capitis, in qvæ deſævit, ſunt perinde (qvod mirum!) multifaria, id qvod cauſæ proximæ indagationem admodum reddit difficilem. Sic 1°) *Totum caput* doluit adoleſcenti HANNAEI (*l*), HILDANIqve (*m*) ſartori; contra ea 2°) *Hemicrania* tantum alterutrius lateris afflixit matronam HILDANI (*n*), eqvitem MEEKRENII (*o*), MUZELLII (*p*) podagricum, feminasqve SCHAARSCHMIDTII (*q*) ac WOLFFII (*r*). 3°) *Vertex* porro vel maxime afficiebatur in BRIGGSII (*s*) juvene, ſene NEIFELDII (*t*), ac WEPFE-

(*i*) Vide §. 106.
(*k*) Vide hiſtor. 2.
(*l*) Vide §. 47. b).
(*m*) Ibidem.
(*n*) Ibidem.
(*o*) Ibidem a).
(*p*) Vide §. 111.
(*q*) Vide ſuperius in b).
(*r*) Ibidem.
(*s*) Vide §. 37. a).
(*t*) Vide §. 38. c).

RI (*u*) muliere; dum 4°) *Synciput* COLLINI (*x*) puellæ, pannificiqve HEYI (*y*), & 5°) *Occiput* ejusdem (*z*) ſutori ac LENTILII (*a*) viro, in primis doluit. Freqventiſſime tamen 6°) *Superciliaris regio* frontis dolorem experitur, qvem locum varie ægri deſcribunt: COLLINI (*b*) juvenis lancinantem transverſim per frontem ſenſit: ſtudioſus vero HOFFMANNI (*c*) cephalalgiam cum formicatione in fronte patiebatur; orbitis ſuperioribus inſidebat dolor CONSBRUCHII (*d*) in femina, in ESCHENBACHII (*e*) mercatore frontis regionem tenuit ſuperciliis proximam ſpatio 2 pollicum; GOHLII (*f*) puellam in radice frontis cruciabat; HEYI (*g*) matronæ recta ſupra orbitas moleſtus erat, puellæ (*h*) vero ſu-

---

(*u*) Vide §. 60. No 4. a).
(*x*) Vide §. 79. K.
(*y*) Vide §. 106.
(*z*) Ibidem.
(*a*) Vide §. 57. No 3.
(*b*) Vide §. 79. F.
(*c*) Vide hiſtor. 2.
(*d*) Vide §. 69.
(*e*) Vide §. 27. No 4.
(*f*) Vide §. 98. No. 1.
(*g*) Vide §. 106.
(*h*) Ibidem.

pra oculum dextrum ejusqve in tempore maxime sæviebat, qvem SCHAARSCHMIDTII (i) serva anterius in fronte tulit, ubi de eodem puer WESTPHALI (k) qverebatur; deniqve matronæ WEPFERI (l) ad nuchæ verticisqve dolorem accessit etiam dolor frontis supra supercilium dextrum, qvem oculorum motus ac sternutatio exacerbabant.

§. 20.

6. DOLOR *oculorum palpebrarum*ve aut solus aut cephalalgiæ junctus perinde vel præcedit amaurosin, vel eidem invadenti se associat. Sic BOERNERI (m) in juvene dolor oculorum ac palpebrarum, in NEIFELDII (n) sene verticis palpebrarumqve dolor amaurosin præcesserat. Caput oculiqve ante amaurosin HOFFMANNI puellæ septenni (o), duodenniqve puero (p),

(i) Vide §. 115.
(k) Vide §. 73.
(l) Vide §. 60. No. 4. a)
(m) Vide §. 98. No. 2.
(n) Vide §. 38 c).
(o) Ibidem b).
(p) Vide §. 104.

juveni HÜNERWOLFFII (*q*), ac TIMAEI (*r*) viro doluere; præſertim vero in fundo orbitæ ſævitiem doloris SCHAARSCHMIDTII (*s*) femina qverebatur; ſervæ autem ejusdem (*t*) ſimul ac ſemel & caput cum oculis dolere & viſus hebeſcere cœpit, qvod utrumque ſimul etiam in femina WEBERI (*u*) obtinuit. MARXII (*x*) vero puer de ſolo oculi dolore cum viſus hebetudine qveſtus eſt. Contra ea muſico MUZELLII (*y*) capitis dolor in oculum trajecit; perindeqve in altera WEBERI (*z*) femina ſuperata cephalalgia hebetes oculi nihilominus dolebant.

§. 21.

7. VERTIGO qvoqve haud infreqvens eſt amauroſeos ſymptoma, qvam BLOCHII (*a*), COLLINIqve (*b*) puellæ,

(*q*) Vide §. 37. e).
(*r*) Vide §. 35. a)
(*s*) Vide §. 19. b).
(*t*) Vide §. 115.
(*u*) Vide §. 103. A. No. 8.
(*x*) Vide §. 90.
(*y*) Vide §. 111.
(*z*) Vide §. 70.
(*a*) Vide §. 37. e)
(*b*) Vide §. 79. H.

HEISTERI (*c*) pyrotechna, fossor HEYI (*d*), matronæ HILDANI (*e*) ac WEPFERI (*f*), vir HOFFMANNI (*g*), nec non RAYGERI (*h*) Commissarius, sunt experti. Omnes hi autem, præter COLLINI puellam atqve Commissarium RAYGERI, dolorem simul capitis habuere vertigini conjunctum. GRASSIUS (*i*) vero vertiginem vel maxime, dum sanum oculum clauderet, sentiebat.

§. 22.

8. COMA etiam subinde adest, aut proclivitas in somnum; istam GRASSIUS (*k*) sustinuit, illud TIMAEI (*l*) puero ante cœcitatem post cephalæam diuturnam supervenit.

(*c*) Vide §. 16. c).
(*d*) Vide §. 106.
(*e*) Vide §. 47. b).
(*f*) Vide §. 60. No. 4. a).
(*g*) Vide §. 44.
(*h*) Vide §. 111.
(*i*) Vide §. 87.
(*k*) Ibidem.
(*l*) Vide §. 47. a).

§. 23.

9. DELIRIUM perinde amaurosi vel anteit, vel jungitur, vel supervenit, illudqve vel furens vel melancholicum, vel saltem fatuitas; & vel est continuum vel interpolatum: qvorum omnium exempla præbuere feminæ AMATI (*m*) & SCHAARSCHMIDTII (*n*), aulicus BRUNNERI (*o*), qvadrimula HANNAEI (*p*), adolescens LEDELII (*q*), virgo SCROECKII (*r*), senator SPIELENBERGERI (*s*), puer TIMAEI (*t*), ac WILLISII (*u*) juvenis. COLLINI (*x*) puella a febre subdelira oborta amaurosi resipuit.

(*m*) Ibidem.
(*n*) Vide §. 19. b).
(*o*) Vide §. 32.
(*p*) Vide §. 71.
(*q*) Vide §. 35. a).
(*r*) Vide §. 32.
(*s*) Vide §. 49. b).
(*t*) Vide §. 47. a).
(*u*) Vide §. 32. b).
(*x*) Vide §. 79. G.

§. 24.

10. PARALYSIS *paræsis*ve aut palpebræ oculi affecti, aut faciei musculorum, aut artuum, aut dimidii corporis non raro cum amaurosi juncta observatur. Sic paræsin palpebrarum HEISTERI (*y*) nobilis, paralysin vero unius, ad læsum oculum pertinentis, GRASSIUS (*z*), MUZELLII cum musicus (*a*) tum podagricus (*b*), ac SCHAARSCHMIDTII (*c*) femina, cui dimidium qvoqve caput paralyticum evasit, experti sunt. Stupor paralytodes in genarum musculis apud GOHLII (*d*) puellam erat. Artuum paræsin e colica cum amaurosi Comes RAYGERI (*e*), pedum paralysin BRUNNERI (*f*) aulicus, RIBEI (*g*) ruricola brachii dextri, dimidii vero corporis & CAMERA-

(*y*) Vide §. 37. a).
(*z*) Vide §. 87.
(*a*) Vide §. 111.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide §. 19. b.
(*d*) Vide §. 98. No 1.
(*e*) Vide §. 111.
(*f*) Vide §. 32.
(*g*) Vide §. 63.

RII (*h*) venator, & monachus RHODII (*i*), & GEACHII (*k*) vulneratus, perpeſſi ſunt.

§. 25.

II. CONVULSIONES *clonicæ* vel *tonicæ* perinde ſe ſe amauroſi ſociare conſveverunt, æqve aut membri unius tantum, aut plurium, totiusve corporis. Sic palpitationem cordis cum anxietate COLLINI (*l*) puella per vices experiri ſolebat; HANNEMANNI (*m*) feminæ ante qvamlibet amauroſeos periodicæ invaſionem cutis frontis convellebatur; &c. Freqventius tamen obſervatur

a) *Rotatio*, *detorſio*, *rigorve bulborum* oculi. Sic GEACHII (*n*) vulnerato oculus dexter interdum, perpetuo vero chirurgo COLLINI (*o*) ac MAYRI (*p*) pyrobolario oculi ambo movebantur. Contra

---

(*h*) Vide §. 47. b).
(*i*) Vide §. 35. c).
(*k*) Vide §. 43.
(*l*) Vide §. 79. I.
(*m*) Vide §. 114.
(*n*) Vide §. 43.
(*o*) Vide §. 79. D.
(*p*) Vide §. 107. No. 3.

ea RICHTERI (*q*) qvinqvagenario in paroxyſmo amauroſeos tertianæ rigebant bulbi difficulter mobiles cum obtutu fixo: BARTHOLINI (*r*) autem virgini ac PÜSCHELII (*s*) ægro bulbi verſus canthos internos detorti obſervabantur. Qvæ poſtrema qvidem bina exempla non tam præternaturalem, qvam apparenten tantum, muſculorum bulbos hoc in ſitu detinentium ſpaſmum a paralyſi muſculorum antagoniſtarum natum innuere videntur. Etenim „ conſuluit me, „ inqvit I. B. MORGAGNIUS (*t*), annis „ ſuperioribus Eqves nobiliſſimus, cui poſt „ gravem capitis ictum nihil mali amplius „ exſpectanti repente amauroſis utrumqve „ oculum ſic invaſerat, ut dexter extrorſum „ promineret, ſiniſter contra ad interiora „ eſſet retractus. Hujus in ſingulis oculis „ contrarii effectus eandem eſſe cauſam exiſtimavi, reſolutionem, ſed in altero alibi agnoſcendam, in rectis videlicet dextri oculi muſculis; in obliqvis autem ſiniſtri, ut alteris in altero oculo antagoniſtis cedentibus, in illo obliqvi rectis, in

(*q*) Vide §. 90.
(*r*) Vide §. 60. No. 4. d).
(*s*) Vide §. 66. No. 5.
(*t*) Epiſt. anat. 18 No. 6.

„ hoc recti obliqvis præpollerent. Nihil „ autem erat causæ, cur de convulsione „ suspicarer, non omni tantum absente dolore, sed & omni utrinqve conjunctivæ „ tunicæ sensu, & concidente præterea palpebra superiore sinistra; qvæ videlicet resolutionem significabant. Remissiora hæc „ erant mala omnia, cum ipse vidi; sed „ amaurosis qvoqve remissior erat, ut nisi „ ab eadem causa, ob qvam paralysis tot „ alios nerveos ramulos, qvot inserviunt „ memoratis partibus, corripuerat, ipsos „ qvoqve opticos nervos corripere potuisset, „ facile fuissem cogitaturus, an horum vitium eo referrem, qvod cum antagonistæ „ musculi summa illa affecti resolutione primum cesserunt, illico inusitata & prorsus „ libera contractione suos versus immobiles „ terminos resiliendo, hinc qvidem præpollentes obliqvi sinistrum opticum propemodum distraxissent, inde autem recti dextrum nimis incurvassent, & qvodammodo „ contorsissent: ab eorum enim contortione „ amaurosim tum fieri posse liqvet, tum „ reapse aliqvando factam esse, a Medicis „ est adnotatum „.

b) *Tremor* topicus aut univerſalis: hunc COLLINI (*u*) chirurgus in palpebris totoqve corpore, illum BRIGGSII (*x*) juvenis inferioribus artubus, HOFFMANNIqve (*y*) trimulus brachio ſiniſtro, ſunt perpeſſi.

c) *Epilepſia*, motusve alii convulſivi artuum; qvemadmodum HILDANI (*z*) ac LENTILII (*a*) matronis, SCHOBERI (*b*) ſcriniario, virgini SCROFCKII (*c*), juveniqve WILLISII (*d*) acciderat.

d) *Aphonia*, *balbuties*. Hanc continuam COLLINI (*e*) chirurgus, illam vero juvenis SPROEGELII (*f*) ac VANDERMONDII (*g*) puella octennis, qvadrimulaqve HANNAEI (*h*), ſunt perpeſſæ. Im-

(*u*) Vide §. 79. D.
(*x*) Vide §. 37. a).
(*y*) Vide §. 39. d).
(*z*) Vide §. 47. b).
(*a*) Vide §. 46.
(*b*) Vide §. 31. b).
(*c*) Vide §. 32.
(*d*) Ibidem b.)
(*e*) Vide §. 79. D.
(*f*) Vide §. 96.
(*g*) Vide §. 71.
(*h*) Ibidem

peditam qvoqve loquelam HOFFMANNUS in ſtudioſo (*i*), trimuloqve infante (*k*) notavit.

§. 26.

12. LAESIO *ſenſuum* reliqvorum internorum externorumve, præſertim auditus vel memoriæ. Imminuta admodum *memoria* fuit in venatore CAMERARII (*l*), HEYI (*m*) viro, ac WATSONI (*n*) puella. *tinnitus* ac ſuſurrus HOFFMANNI virum (*o*), *baryecoia* vero ſtudioſum (*p*) moleſtavit, qva ipſa AMATI (*q*) qvoqve mulier, ESCHENBACHII qve (*r*) puer graviter laboravit; prorſus vero *ſurdi* ſimul evaſere HAGENDORNII (*s*) puella, æger PÜSCHE-

(*i*) Vide hiſtor. 2.
(*k*) Vide §. 39. d).
(*l*) Vide §. 47. b).
(*m*) Vide §. 105.
(*n*) Vide §. 40.
(*o*) Vide §. 44.
(*p*) Vide hiſtor. 2.
(*q*) Vide §. 47. a).
(*r*) Vide §. 40.
(*s*) Vide §. 38. b).

LII (*t*), SALMUTHIqve (*u*) hypparchus, qvi aphoniam ſimul eſt expertus. Mirum autem eſt SPILENBERGERI (*x*) ſenatori amiſſo viſu auditum obtigiſſe acutiorem!

CAPUT IV.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. 27.

Cum in aliis morbis procreandis multum ſibi qva *ſexus* qva *ætas* vindicent; in amauroſi accerſenda nullum ab iis diſcrimen obſervatur: viri juxta ac feminæ, nec ſegnius juvenes præ annoſioribus, aut hi præ illis, caligini patent. Ac tametſi verum ſit, juniores amauroſi, cataractæ vero adultiores magis eſſe obnoxios, non ſunt tamen ſenes amauroſeos expertes, ut paſſim poſtea videbimus. Perinde „ ne infantibus qvidem „ hic morbus parcit; qvippe qvorum complures cœci in lucem edantur. Malum

(*t*) Vide §. 66. No. 5.
(*u*) Vide §. 47. a).
(*x*) Vide §. 49. b).

„ non ſtatim eſt conſpicuum, at creſcenti-
„ bus annis facile detegitur. Multos eo-
„ rum ſola aqva ophthalmica curavit s.
„ YVES (*y*), qvos inter aliqvi jam bimu-
„ li fuere, nullum illuc uſqve indicium vi-
„ ſus præbentes. Horum infantum pupillæ,
„ etſi immobiles, non ſunt tamen pro illa
„ ætate ſolito ampliores „. Ex omnibus autem iſtis procliviores in amauroſin ſunt, in qveis reperitur peculiaris corporis ad eandem diſpoſitio, qvam involvit

1. HAEREDITARIUS *character*. „ Cœ-
„ cus eſt hic Ferrariæ, inqvit I. LANZO-
„ NUS (*z*), pauperculus eleemoſynis vi-
„ vens, qvi a conjuge 4 maſculos ac unam
„ feminam ſuſcepit, qvi omnes 5 gnati or-
„ bati lumine orti ſunt „. Perinde amauroſin ex paterna diſpoſitione ortam narrat MAIOR (*a*). De ejusmodi amauroſi hæreditaria pulchre ad rem I. B. G. OEHME (*b*), qvi illam nativæ nervorum opticorum debilitati tribuit: „ ea interdum (inqvit) a paren-
„ tibus, aut ſaltem connatum vitium eſt,

(*y*) l. c. Cap. 27. §. 20. p. 324.
(*z*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 4. obſ. 67.
(*a*) Diſp. de Amauroſi.
(*b*) Diſp. de Amauroſi §. 9. p. 20.

„ non ut protinus, ac qvis natus eſt, cœ-
„ cus ſit, ſed viſum hebetem habeat, qvi
„ ſenſim in amauroſin deſinat. Tale exem-
„ plum ſibi in juvene 25 circ. annor. ante
„ 3 annos occurriſſe ... GÜNZIUS narra-
„ vit: ejus pater 40 circ. annos natus ſen-
„ ſim aciem perdidit. Ipſe a pueritia debi-
„ liore viſu laborans jam 12° anno ſiniſtri
„ oculi uſum perdidit, dextri minui ſenſit,
„ ſed tardius, ut quando ea, qvam dixi,
„ ætate moriebatur, aliqvis ipſi lucis ſenſus
„ ſupereſſet „.

2. IDIOSYNCRASIA circa nonnullas ſex rerum non naturalium. Sic monachus BOXBARTERI, narrante T. BARTHOLINO (*c*), qvoties ex inſtituto Ordinis barbam raſit, viſu privabatur, qvem denuo recuperabat, ſi eam prolixiorem aluit, ut demum Superiorum permiſſu raſuram barbæ prorſus negligeret. Contra ea vidit idem hic Auctor (*d*) alium monachum 25 annorum, cetera ſanum, niſi qvod a prolixius creſcentibus infra alas crinibus debilem pateretur viſum, qveis abraſis continuo rectius videbat. Huc etiam aptiſſime, opinor,

(*c*) Epiſt. medic. Cent. 3. epiſt. 67. p. m. 275.
(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 7. ſchol. ad obſ. 152.

amaurosis qvarumdam gravidarum referri potest, qvæ, qvoties utero gerunt, amaurosin patiuntur, a partu demum cessaturam. „ Observatum, inqvit D. SENNERTUS (*e*), „ feminas qvasdam, cum in utero concepissent, obcœcatas ... fuisse, malumqve „ hoc ad menses 4. 5. vel 6 durasse, non- „ nullis etiam usqve ad tempus partus „. Ita P. SALMUTHI (*f*) „ Comitissa ... qvoties uterum gerebat, toties cœca reddebatur; at post partum & lochiorum fluxum „ visum recipiebat „. I. L. SCHMUCKERUS (*g*) meminit matronæ 30 annor. robustæ ac plethoricæ, qvæ gravida vehementi semper vomitu tentabatur usqve ad partum, ut nihil alimentorum diu retinere qviret. Secta ter qvaterve incassum vena, sub nonum mensem visus hebescebat, qvoad ultimis 8 vel 10 diebus prorsus periret. Pupillæ factæ admodum amplæ, sed splendidum suum nigrorem retinuere. Mox vero a partu rediit visus citra ullam ab amaurosi relictam debilitatem. Atqve isthoc jam tertium eidem accidisse Cl. Auctor observavit. Similia feminarum exempla ROLFINCI-

(*e*) Pract. med. L. 1. P. 3. S. 2. C. 37.
(*f*) Obs. med. Cent. 3. Obs. 77.
(*g*) l. c. p. 6.

us (*h*) memorat, qvæ qvoties gravidæ, obcœcatæ ſemper fuerunt uſqve ad partus tempus. MORGAGNIUS (*i*) qvidem has gravidarum amauroſes ab infarctu nimio arteriarum ac venarum nervos opticos intus extrave comitantium haud abs re deducit; qvandoqvidem a partu fluentibus rite lochiis nunqvam non ſolvantur; ſed enim vero cum infarctus hic e tot millenis gravidis paucis tantummodo contingat, hujus ipſius rei infreqventis ulterior utiqve ratio eſſe debet, nec alibi, niſi me omnia fallunt, niſi in idioſyncraſia earundem, qværenda; præſertim cum teſtetur BARTISCH (*k*), amauroſin gravidis a prima ſtatim impræguatione ſubinde contingere, ac per plures inde menſes, imo uſqve ad partum, poſt qvem ſponte deſinit, perſtare: qvamvis primo conceptus tempore plethora uſqve adeo excedens culpari neqveat. Eodem prorſus modo ad certa qvædam ingeſta viſus nonnullis aut hebetari aut aboleri ad tempus conſvevit. Sic M. ETTMÜLLERUS (*l*) „ novit virum „ jam ſeneſcentem vertiginoſum, qvi ex

(*h*) Diſp. de gutta ſeren. C. 5.

(*i*) De ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. 13. No. 6.

(*k*) Augendienſt P. 6. C. 1.

(*l*) Opp. T. 2. P. 1. fol. 730.

„ usu spir. sal. ammon. notabilem visus he„ betudinem percipit „. Perinde w. WHITE (*m*) epilepticam (floribus Zinci demum curatam) novit, cui gummi Gvajacum qvacunqve forma exhibitum visum semper ad aliqvot horas adimit: atqve ex hoc symptomate illud sibi remedium, utcunqve arcana ratione celatum, fuisse porrectum detegit.

3. LAXITAS *ophthalmicorum vasorum*, infarctui sic ex facili obnoxiorum, qvæ ipsa forte in gravidis plurimum ad amauroseos genesin confert, & qva ZACUTI (*n*) puer, multis annis materiam crassam copiose per oculos excernens, laboravit; qvamqve ii sibi sensim consciscunt, qvi aciem oculorum diu in minutissima aut obscuriora aut fulgentia nimis objecta intendunt.

4. CONSENSUS *oculorum*. Qvotidiana pene experientia docet, affecto uno oculo haud raro alterum qvoqve serius citius vel eodem vel alio vitii genere corripi. Sic inflammatio unius oculi diuturna aut vehemens brevi in alterum qvoqve transit: idem in

(*m*) Medic. Commentar. von Edinburgh 4 Th. 3 St. 2 Abschn. 1 Beobacht. p. 331.

(*n*) Vide histor. 12.

cataracta, idemqve in amaurosi usuvenit, ut ubi illa unum oculum visu privavit, lapsu temporum ad alterum etiam commigret; id qvod S. YVES (*o*) omnibus iis evenisse observavit, qveis amaurosis cum levi ophthalmia & cephalalgia in latere oculi affecti occeperat. Sed ea in re Cl. Vir fallitur, qvod fere semper amaurosin id genus oculi unius 1 aut 2 annis post alterius qvoqve oculi idem vitium conseqvatur; nam & multo ante & serius etiam id evenisse est observatum. Ut enim juvenis GÜNZIANI (*p*) ac venatoris RICHTERIANI (*q*), in qveis intervalla temporis, intra qvæ visus alterius oculi post primum interiit, determinata non sunt, exempla prætercam, numerosa certe alia rem evincunt. Nempe NEBELII (*r*) qvinqvagenarius 7 diebus post, qvam dextri oculi amaurosis oborta est, sinistro qvoqve oculo videre desiit: BAEÜMLEINII (*s*) seni sinistri oculi caligo post 8 dies dextrum etiam vitiavit; qvod idem post oculum dextrum

(*o*) l. c. 2 Th. 27 cap. §. 12. p. m. 321.
(*p*) Vide §. 27. No. 1.
(*q*) Vide §. 47. b).
(*r*) Vide §. 74.
(*s*) Vide §. 39. a).

excœcatum WEPFERI ægrarum uni (*t*) intra idem tempus, alteri (*u*) vero intra 20 dies in ſiniſtro oculo evenit. Sic etiam CAMERARII (*x*) juvenem dextri primum ac poſt 14 dies lævi etiam oculi amauroſis prehendit. Menſis vero interceſſit, anteqvam cœcitas HEYI (*y*) pannifici a dextro oculo ad ſiniſtrum, ab hoc autem ad illum Gallo PLATERI (*z*), fuiſſet propagata. Hæc utiqve tempora ab anni ſpatio magnopere deficiunt. GABELSCHOVERI (*a*) autem femina etſi non niſi biennio poſt alterius qvoqve oculi amauroſin eſt adepta; tamen MAYRI (*b*) miles, ubi lævi oculi viſum amiſit, dextri triennio primum poſt viſus ei periit, & in viro HOFFMANNI (*c*) dextrum oculum amauroticum 4 annis lapſis lævus eſt conſecutus. Deniqve cum COLLINI (*d*) virgo ac STÖRCKII (*e*) femina dex-

(*t*) Vide hiſtor. 11.
(*u*) Vide §. 60. No 4. a).
(*x*) Vide hiſtor. 1.
(*y*) Vide §. 106.
(*z*) Vide §. 31. b).
(*a*) Vide §. 46.
(*b*) Vide §. 107. No. 3.
(*c*) Vide §. 16. d).
(*d*) Vide §. 79. A.
(*e*) Vide §. 84.

tri primum oculi amaurosim nanciscerentur, priori non nisi post 6, posteriori vero post 14 annos demum lævus oculus eadem est affectus. Verum non amaurosis modo, sed alia qvoqve cœcitatis genera uni oculo inhærentia alterius oculi amaurosin post se trahere observantur. Sic STOCKII (*f*) viduæ dexter oculus e gravi contusione pene pessumdatus, indeqve cœcus effectus post sexennium oculi sinistri amaurosin caussavit. Freqventissime autem cataracta oculi unius amaurosin alterius accersere consvevit, uti & staphylomata, &c. præsertim si hæc mala simul amaurosin sibi eodem in oculo habent junctam. Sic apud C. E. ESCHENBACH (*g*) „ vir qvidam qvinqvagenarius mercaturæ „ vacans, cui juveni adhuc cataracta oculi sinistri advenerat, alterius qvoqve oculi aciem nunc sensim hebetari percipiebat. „ Aer nimirum ambiens illum densiori nebula repletus ipsi videbatur, adeo ut, qvæcunque aspiciebat, in hac nebula conspiceret posita, nec nisi ægerrime atqve confuse dignoscibilia. Candelæ accensæ flamma qvando eandem contemplabatur, cir-

(*f*) Vide §. 120.
(*g*) Obs. anat. chir. med. 48. p. 412.

„ cum-

„ cumferentia qvadam lucida ſive halone, „ qvalis lunam atmoſphæra telluris vapori- „ bus abundante cingit, circumdata ipſi ap- „ parebat, ac variis inſuper flammulis aliis „ in certa qvadam diſtantia circum cande- „ lam accenſam conſtitutis multiplicata. In- „ terim colores, pannum oculo propius ad- „ movens verſicolorem, in panno hoc di- „ ſtingvere adhuc poterat; imprimis qvo- „ qve rerum eminus poſitarum, ac plus uno „ colore notatarum, colores ſingulos, e. g. „ in diſco centum paſſus ab oculo remoto, „ atqve maculam centralem nigram, margi- „ ni incluſam albo, monſtrante ambas par- „ tes haſce; nec non alia ejusmodi objecta, „ melius diſtingvebat, ac ſi eadem ab ocu- „ lo eſſent propius conſtituta. In bulbo „ ejusqve partibus, nec non in pupilla, ul- „ lum haud apparebat vitium, præterqvam „ qvod hæc ultima, prouti in morbo iſto „ ordinarie contingit, ſolito magis appare- „ ret dilatata, vixqve amplius mobilis. Ca- „ taractam præſentem vagabundus qvidam „ oculiſta noſtram viſitans urbem remove- „ bat. Contra reliqvum vero malum, qvod „ oculum operatione ſanatum pari ac alte- „ rum modo premere poſt adhibitam chirur- „ giam innoteſcebat, fortiſſima in uſum du- „ cta remedia tam interna qvam externa,

„ derivantia, attenuantia, aperientia, ce- „ tera, ipſa deniqve ☿ⁱⁱ dulcis ope excita- „ ta ſalivatio, nullum plane effectum mon- „ ſtrabant. Morbum immediate præceſſerat, „ atqve durante augmento comitabatur, ce- „ phalalgiæ ſpecies haud adeo vehemens „ qvidem, aſt perpetua fere, qvæ frontis „ regionem ſuperciliis proximam duorum „ circ. pollicum latorum ſpatio præprimis „ obſidebat; qvæ tandem evanuit: minime „ autem cum ea morbus principalis. ... In- „ terim dextro qvoqve oculo ultimato cata- „ racta accedebat, qva poſt 18 a medela „ dicta annos ab oculiſta ... remota æger „ viſu iterum gaudebat tali qvoad hunc ocu- „ lum, qvalis cataracta remota ſolet relin- „ qvere „. Porro (*b*) ejusdem juvenis ad 20 annos natus haud ita multo poſt inuti- lem ex oculo dextro leucomatis reſectio- nem „ alterius ... oculi huc uſqve ſani „ incurrebat flacciditatem ſingularem, aſpe- „ ctui etiam in bulbi regione patentem, in- „ ſimulqve videndi infirmitatem, abſqve „ ulla cauſa manifeſta, ... eum in modum „ increſcentem, ut paucorum menſium ſpa- „ tio viſus primo diminueretur gradatim, „ tandemqve penitus abiret. Hic æger

---

(*b*) Ibidem p. 413. ſqq. & Obſ. 5. p. 32. ſqq.

„ non, qvemadmodum præcedens, de nebula visum impediente conqverebatur, sed de simplici potius obfuscatione, qvacum, qvæcunqve ipsi in distantia mediocri & consveta ante oculos erant, licet grandiora fuerint objecta, e. g. hominem, non nisi ægerrime distingvebat; qvæ vero longissime erant remota, e. g. arbores, ædes, alia, qvartam milliaris Germanici partem dissita ab ipso, & in rure obvenientia, melius discernebat. Ad hæc varia ipsi apparere corpora lucida contestabatur, aliqvando scil. discum majorem splendentem ita diversimode mobilem aut volitantem qvasi in aere, ut mox totam monstraret latitudinem is cum centro respectu circumferentiæ qvodammodo obscuriori & minus lucente, mox eandem averteret, marginem potius antrorsum dirigens, atqve hunc situm varium continuo alternans. Nonnunqvam globulos minores æger conspiciebat contiguos ac positione sua semicirculum describentes: interdum diversi generis literas majusculas sub versalium nomine notas, integra qvandoqve verba componentes, ut plurimum vero absqve ordine certo & varia directione sibi appositas, nec stabiles, sed vacillantes, extemplo ortas, & subito rursum evani-

„ das. Singula hæc phantasmata ordinarie
„ lineam, ut ajebat, arcuatam horizonta-
„ lem deſcribebant, & ab uno latere v. g.
„ ſiniſtro advenientia transverſim ante ocu-
„ los prætervolando ad latus oppoſitum ſive
„ dextrorſum proficiſcebantur, ibidem ſen-
„ ſim evaneſcentia, ſuccedentibus aliis
„ novis: prætereaqve eadem matutinis ho-
„ ris apparebant freqventiora, qvamvis reli-
„ qvo etiam diei tempore per intervalla
„ præſentia, idqve ſive palpebris clauderen-
„ tur oculi, ſive ſecus. Poſt aliqvot ſepti-
„ manas in hoc ſtatu peractas cataracta mor-
„ bo accedebat, viſum, qvatenus remotio-
„ ra corpora modo antea commemorato cer-
„ nebantur, penitus auferens, remanenti-
„ bus tamen per tempus ſat longum prædi-
„ ctis apparitionibus lucidis. Huic qvoqve
„ ægroto medicamina qvævis ... ſuppedita-
„ ta, reliqvaqve molimina omnia, nil qvic-
„ qvam profuere; ſed cœcus ille permanſit
„ ad vitæ uſqve terminum, qvam poſt an-
„ nos aliqvot cum morte commutabat „.
Perinde L. HEISTERI (*i*) ruſticus 40 an-
nor. robuſtus, a ſeſqvi anno cataracta lævi
oculi affectus, tandem poſt multos capitis
dolores in dextri oculi amauroſin cum capil-

(*i*) Medic. chir. Wahrnehm. 1 Band No 481.

lorum defluvio incidit, ad omnia qvæqve, ipſum etiam ptyaliſmum ☿lem immedicabilem. Haud ſecius (*k*) mulieri cataractam oculo uno, altero amauroſin cum continua ac vehementi cephalæa perpeſſæ, cum fruſtra plurimis tentatis ne depreſſio qvidem cataractæ, ob ejus cum amauroſi eodem in oculo complicationem (ſiqvidem illo oculo clariſſimam etiam lucem a tenebris non diſcerneret), profutura videretur, tandem in amaurotico oculo, cujus pupilla hactenus nigra ſemper manſit; glaucoma eſt generatum; etenim procul retro pupillam in oculi fundo color glaucus ſe ſe ſpectandum exhibuit.

5. HYSTERICA, *hypochondriaca*ve diathiſis non raro amauroſin, fugacem plerumqve, accerſere conſvevit. „Morbus hic, inqvit S. YVES (*l*) ſæpe ex hyſterica paſſione oritur, ſæpiusqve vidi mulieres ad ½ „ vel 1 horam, imo in biduum triduumve „ viſu inde caruiſſe „. Qvod reapſe CLAUDERI (*m*) mulieri, puellæque WATSONI (*n*) accidit. Perinde ſe res in hypochondriacis habet viris. Ita D. SENNERTUS (*o*)

(*k*) Ibidem No. 650.
(*l*) l. c. Cap. 28. §.2. p. 325.
(*m*) Vide §. 57. No. 1.
(*n*) Vide §. 40.
(*o*) l. c. C. 44. p. m. 856.

„ meminit . . . qvemdam ex affectu hypo- „ chondriaco in cœcitatem incidiſſe „ : qvod ipſum viri MARXII (*p*) & VATERI (*q*) ſunt experti.

6. VISCERUM *abdominalium*, præſertim vero hepatis, labes varia. „ In diſſitis ſæpe „ locis, inqvit RICHTERUS (*r*), & in „ primis qvidem in præcordiis incognitam „ ſæpe latere guttæ ſerenæ cauſam, probant „ exempla plurium ægrotorum, qvi poſt „ vehementes animi adfectus (*s*) vel diutur- „ nos mœrores viſum perdiderunt; probat „ vomitoriorum egregius in amauroſi effe- „ ctus (*t*); probant ſymptomata varia non „ raro amauroſin comitantia, qvæ labem „ viſcerum abdominalium produnt; probant „ tandem... obſervationes „ (*u*), & ſolventium obſtructiones remediorum (*x*) felices in amauroſeos curatione ſucceſſus. L. HEISTERUS (*y*) „ cadaver adoleſcentis

---

(*p*) Vide §. 104.

(*q*) Vide §. 9. No. b).

(*r*) l. c. p. 79. ſq.

(*s*) Vide §. 34.

(*t*) Vide §. 63. ſqq.

(*u*) Vide ibidem paſſim.

(*x*) Vide §. 72. 73.

(*y*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obſ. 171.

„ (ait) 20 annos nati ... diſſecui, qui multis „ abhinc annis amauroſi ... poſt freqventes „ capitis dolores, qvi ad mortem uſq.e con- „ tinuarunt, laboravit: unde tandem ſtupi- „ ditas ſive fatuitas qvædam acceſſit, cum „ ſumma totius corporis macie, ac deniqve „ inſultus epileptici vitæ finem fecerunt. „ Apertum cadaver in abdomine omentum „ putredine conſumptum manifeſtabat, & „ hepar qvaſi corrugatum ſolitoqve minus „ apparebat, macula nigra defœdatum. In „ pectore pulmones duris nigrisqve grandi- „ nibus conſitos, pleuræqve adnatos inve- „ nimus. Oculi nulla labe affecti videban- „ tur, niſi qvod pupillæ, ut plerumqve in „ gutta ſerena fieri ſolet, ſolito ampliores „ eſſent. Inciſo autem oculo dextro hu- „ mor vitreus fere omnino diſſolutus, & „ cryſtallinus valde exiguus, juſtoqve mol- „ lior inveniebatur. Cum vero ad alterum „ qvoqve oculum, craniumqve aperiendum „ progredi vellemus, mater ... ne filius ni- „ mium dilaceraretur, ulteriorem ſectionem „ concedere noluit „.



CAPUT V.

PROCATARCTICAE CAUSAE.

§. 28.

Vidimus caufas ad amaurofin difponentes: feqvuntur nunc eæ, qvarum e concurfu cum difponentibus amaurofis enafcitur, procatarcticæ nempe. Hæ qvidem non usqve adeo funt numerofæ; at ejusmodi certe earum haud paucæ, ut qvonam potiffimum modo oculum lædant, Pathologos dubios adhuc reliqverint. Enim vero inferciendone vafa oculi, an nervum ipfum directe afficiundo, vel e confenfu eundem in actione turbando, &c. data qvæpiam procatarctica caufa amaurofin accerfat, fæpenumero haud pro certo dixeris. Qvod fi ad amuffim teneremus, non ordini modo caufarum harum certas in claffes tribuendarum confuleretur, fed magnum etiam in medendi methodo momentum faceret, pro indicatione ad ipfum læfionis modum condenda. Verum cum hac in re certitudo nos deftituat, ne opiniones & conjecturas pro demonftrationibus obtrudere velle videar, procatarcticas caufas eo hic ordine dabo, qvem fingulæ in ferie fex rerum non naturalium obtinent: adjiciam

iis circa modum læſionis conjecturas probabiles, qvas obſervata fidelia & caſtum ratiocinium ſuggeſſerint.

§. 29.

I. NERVUS *opticus* varie vitiatus primo omnium loco venit expendendus, ſeu vitia illa, qvæ propriæ ipſius ſubſtantiæ inſunt, & a vicinis ei partibus organicis non pendent. Qværi hic poſſet, num non amauroſis connata aliqvando a deficientibus prorſus his nervis proficiſcatur? In cophoſi cauſam hanc exſtitiſſe aliqvando obſervata docuere (z); at pro amauroſi nihil dum tale apud obſervatores reperi. Interea caſui VALSALVAE, qvem in hiſtoria cophoſeos excitavi, de matre omnes filias ſurdas enixa, admodum eſt analogus caſus v. RIEDLINI (*a*) de hoſpite pagano ſex liberorum patre „ qvi omnes a prima ſtatim nativitate oculorum lumine privati fuerint, „ hincqve hanc lucem nunqvam aſpexerint, „ ex qvibus qvidem tres in prima adhuc „ pueritia in mortis prædam ceſſerint, e „ tribus ſuperſtitibus autem unum qvidem

(z) Vide meam hiſtor. cophoſeos §. 6 A.

(*a*) Curar. medic. millenar. No. 822.

„ filiolum non solum oculorum sed & ratio-
„ nis lumine esse destitutum, at filiolam
„ jam fila ducere didicisse, & filium impri-
„ mis natu majorem qvævis negotia dome-
„ stica sic perficere, ut cum præsertim in
„ oculis ipsis nullum conspiciatur vitium,
„ nisi qvis diutius cum eodem versetur,
„ eum pro cœco vix sit habiturus; per to-
„ tam enim domum absqve ductore illum
„ circumcursitare, coram mensa stare, &
„ hospitum præsentium jussa exseqvi, siqve
„ 4, qvorum nullam unqvam notitiam ha-
„ buerit, accesserint, velqve semel locuti
„ fuerint, simulqve nomina sua detexe-
„ rint, eum eos ab illo tempore sic a se
„ invicem dignoscere, ut nunqvam in uno
„ qvoqve nominando postmodum sit erratu-
„ rus: viam, super qva semel incesserit,
„ eum sic memoriæ imprimere, ut non nisi
„ semel ductore opus habeat, qvin sic iter
„ 2 fere milliarium ingredi ausus fuerit „.
Historia hæc in eo a VALSALVIANA tantummodo abludit, qvod in hac solæ filiæ fuerint surdæ, filii vero omnes sani; in illa vero utriusqve sexus progenies amaurotica. Operæ pretium sane futurum fuisset in caussam domesticæ hujus cœcitatis indagare. Ceterum alia nervorum opticorum vitia, a qvcis amaurosis inducitur, sunt

a) *Distractio* violenta, qvalis in procidentia oculi accidere solet, aut in exophthalmia. Vitium hoc qvidem non semper visum eripit, præsertim in oculi procidentia, seu hæc ab interna seu externa causa ortum duxerit. Idcirco etiam Cl. LOUIS (*b*) dissvadet postremo in casu oculi exstirpationem; eo qvod observatis edoctus sit, oculo, etiamsi genarum tenus procidisset, in orbitam reposito visum illibatum rediisse: qvamvis merito miretur A. G. RICHTERUS (*c*), nervum opticum tam violenta distractione haud fieri paralyticum. CNEULINI sane apud I. SCHENCKIUM (*d*) „sexagenarius... „mechanicus .... tantam sæpe utriusqve „oculi procidentiam incurrit, qvi suis cavi„tatibus excidentes ad genas usqve propen„dent, ut eos præsecare facile liceret, „qvi... fomento ex rosis ... eosdem repo„nit, & restituit; adeo qvidem, ut seme„stre usqve perdurent. Sed qvod admira„tionem omnem vicit, etiam dum propen„dent, visu inoffenso utitur, verum tanta „capitis cum imbecillitate, qvæ illum inte„gro die lecto affigat „. Porro „duo

(*b*) Mem. de l'Acad. Roy. de chirurg. T. 5.
(*c*) Chir. Biblioth. 3 B. 1 St. p. 16.
(*d*) Obs. med. L. 1. p. m. 160.

„ fratres, narrat H. ab HEER (*e*)... ini-
„ micum ... in campo... arbori alligant,
„ alterum oculorum cultro sectum omnino
„ eruunt, alterum digitis expressum ad ex-
„ tremitatem nasi, cujus partem etiam cul-
„ tro præsciderant, pendulum relinqvunt,
„ cœcum atqve a bestiis noctu vorandum
„ reliqvisse rati. Ille vero sat commodo
„ visu usus vinculis se expedivit, atqve
„ ante noctem Chirurgi domum venit, qvi
„ oculum cavo suo repositum aliqvamdiu
„ obligavit, sanumqve hominem probeqve
„ videntem dimisit. Affirmavit ille mihi, se
„ cum propendente oculo ambulantem viam,
„ qva incedendum, optime vidisse, sed cum
„ agitatione vel fluctuatione qvadam, qva-
„ lem in superficie fluminum vento agitata
„ observamus. Hoc ab oculo & nervo opti-
„ co motante se, inqvietasqve visibilium
„ imagines recipiente, manasse credo. Qvar-
„ to post anno utriusqve familiæ rebus assi-
„ dua lite fere attritis ab altero fratrum sclo-
„ po occisus est, ad illum diem nec mini-
„ mum in sano oculo incommodum sentiens,
„ ut sæpe mihi adfirmavit, & vidi legen-
„ tem scribentemqve. Novi alium, cui pue-

(*e*) Obs. med. 4. §. 3. p. m. 69. sqq.

„ ro ictu tegulæ excussus oculus ultra dimidium nasi pendebat: etiam illi reposito a „ Chirurgo oculo visus nulla in parte imminutus, qvod mihi his diebus sexagesimum „ jam qvartum annum agens affirmavit „. At vero id genus distentio nervi optici haud semper citra visus jacturam evenit. Narrat C. WHITE (*f*) viro cuidam tabaccariæ fistulæ superius extremum in oculum impactum, trans medium inferioris palpebræ bulbum inter marginemqve imum orbitæ externum, ac trans partem ossis maxillaris superioris imam internamqve orbitæ plagam formantis, penetrans abruptum ibidem fuisse. Fragmentum in vulnere latens, visum tactumqve fugiens ad 3 pollices erat longum. Bulbus inde extra orbitam ad superiora urgebatur, cornea sursum obversa, musculoqve bulbi inferiore admodum tenso ac distracto. Nil prorsus hoc oculo æger videbat. Verum ubi bulbus leni pressione adhibita subito se in orbitam subduxisset, visus qvoqve continuo integer est reversus, citra ullum abhinc incommodum consecutum. Biennio dein post valida tussi oborta fistulæ fragmentum 2 pollices, ac post bimestre inde aliud

---

(*f*) Cases in Surgery with Remarks. Part the First.

rurſus pollicem longum ægri ex ore proſiliit, nullo etiam tum ſubſeqvente incommodo. Violenta ejusmodi ac ſubita nervi optici diſtractio præ lenta ac ſucceſſiva, qvalis a tumoribus intra orbitam ſenſim ſuccreſcentibus, bulbumqve oculi foras pedetentim urgentibus, in exophthalmiis contingit, magis favere amauroſi efficiendæ nemini non videri poſſet; contrarium tamen obſervata docent. I. L. SCHMUCKERI (g) mercatori 27 annorum a 15' ætatis anno continuus in dextra orbita dolor, cum annis creſcens, oculum ex eadem foras urſit. Pupillæ motus exiguus, oculoqve viſus vix ullus ſuperfuit. In cantho interno proxime ſaccum lacrimalem tumor avellanam nucem æqvans, at nec durus nec rubens, emerſit. Tactu obſervare fuit, oſſa ab ſe receſſiſſe, præſertim apophyſis naſalis oſſis maxillaris ab oſſe naſali ſenſibiliter diſtabat. Cum vero tumor non tam oſſeus qvam polypoſus mollis eſſe videretur, qvi inter ſuturas oſſium cœptus ſuo poſtea incremento easdem ab ſe dimovit, utilis futura viſa eſt inciſio, qva ab orbitæ margine trans tumorem prope ſaccum lacrimalem facta erupit humoris fuſci pultem craſſam referentis circ. cochlear. Cumqve

(g) l. c. p. 9. ſq.

ſuperne minor alius tumor detegeretur, etiam ex hoc pone tendinem orbicularis muſculi inciſo materia priori ſimilis erupit. Iſthic oſſa magis qvam priore loco ab ſe receſſere, at citra cariem, & perioſtio munita adhuc. Ad materiam evocandam injectiones adminiſtrabantur, & ne latens oſſa peſſumdaret, aperturæ inferiori argenteus tubulus ovalis ½ pollicis longitudine eſt inditus, ope cujus effluere qviret. Lapſis vix 8 diebus oculus intra orbitam ſe recipiens priſtinum recuperavit ſitum, ægriqve viſus eſt inſigniter emendatus. Ab ſimili etiam cauſa cœcitatem unius oculi vidit J. T. KLEIN (*h*).

b) *Induratio* in decurſu aut expanſione in retinam. Mirabile induratorum nervorum opticorum exemplum memoriæ prodidit N. BLEGNY (*i*) „ aperto (inqviens) „ cadavere illuſtris Dominæ DE LA LOUPE... repertus lapis phaſeoli magnitudine „ in origine atqve in ipſa nervorum opticorum ſubſtantia, unde illico dolores capitis atroces exorti, poſtmodum febris ardens, cœcitas, imo mors ipſa, luminis „ exſtinctioni triduo poſt ſuccedens. Te-

(*h*) LESKE l. c. 2 Th. No. 10. p. 25.
(*i*) Zod med. Gall. ann. 1. April. obſ. 14. p. 81.

„ ſtes adduco DD. VIEILLARD DE DREUX
„ & HUB. DE NOGENT Medicos celebres,
„ oculatos teſtes „. Super quo „ non
„ eſt ... facilis declaratu, ait MORGAGNI-
„ US (*k*), obſervatio illa; ... niſi forte
„ intelligas, utroqve in latere ſimilem fuiſ-
„ ſe lapillum: neqve enim unus ea parvi-
„ tate in amborum poterat nervorum eſſe
„ ſubſtantia, amborumqve originem preme-
„ re, ſive manifeſtam illam accipias, de
„ qva dictum eſt, ſive alteram retruſiorem „.
Neqve minus poſteritate dignum eſt exemplum induratæ retinæ A. HALLERO (*l*) viſæ: „ in furis cadavere ... cum ... nervos
„ oculi (refert ille) ſollicite pararemus, cœ-
„ cum fuiſſe eo latere, atqve cicatricem
„ in cornea eſſe, & duritatem in oculo
„ ipſo, apparuit. Cum diſſectione defun-
„ cti eſſemus, apparuit mira mali cauſa:
„ choroideæ membranæ ſuberat retinæ loco
„ lamina oſſea aut lapidea (nam fibras oſſeas
„ nullas vidimus) cui ipſa choroidea adhæ-
„ rebat, ut alias retinæ ſolet, concentrica,
„ hemiſphærio cavo ſimilis, niſi qvod du-
„ plici lamina fieret, & in altero latere

(*k*) l. c. No. 6.
(*l*) Opuſc. patholog. Obſ. 65, p. 172. ſq.

„ duo-

„ duobus qvasi loculis excavaretur. Is qva-
„ si scyphus accurate rotundo foramine per-
„ forabatur, qva nervus opticus subit, ut
„ eo magis induratam retinam esse appare-
„ ret. Intra hanc osseam caveam nullum
„ vitreum legitimum corpus, sed nervum
„ qvasi, albam nempe cylindrum reperimus,
„ qvæ per foramen ossei cyathi transmissa,
„ metiens ejus diametrum, deniqve adhæ-
„ rebat osseo confuso corpori, qvod potu-
„ isses pro corrupta lente crystallina ha-
„ bere. Ei corpori undiqve & iris & pro-
„ cessus ciliorum cognomines connascebam-
„ tur, & cornea deniqve, ad qvam iris pa-
„ riter conferbuerat „. Similem etiam casum videre est in MORGAGNIO (*m*) Neqve ab his abludit ille, qvem I. G. ZINN (*n*) dedit.

c) *Contorsio.* I. N. BINNINGERI (*o*) Comes non dum sexagenarius, a pueritia ex amaurosi cœcus, cum tandem obiisset, in dissecto cranio nervi optici contorti sunt reperti. Id qvod MORGAGNIUS (*p*) a prægressis convulsionibus ætati teneræ familiaribus effectum fuisse suspicatur.

(*m*) l. c. Epist. 52. No. 30.
(*n*) Hamburg. Magaz. 19 B. 4 St. No. 7. p. 438.
(*o*) BONET Sepulcr. anat. L. 1. S 18. Obs. 8.
(*p*) l. c. Epist. 13. N. 5.

d) *Erosio, vulnera.* „Qvale triste exem-
„ plum in milite qvodam vidit L. HEIS-
„ TER (*q*), cui in prælio ad Bovacum globo
„ plumbeo utraqve tempora exactissime per-
„ forata erant; unde mox cœcus factus sine
„ vitio spectabili in oculo. Æger qvidem Bru-
„ xellis a me (ait) curatus est a vulnere,
„ sed uterqve oculus amaurosin immedica-
„ bilem retinuit„. Porro narrat L. BOTAL-
LUS (*r*) Taurinensi qvæstori a cephalæa syphilitica amaurosin passo, ac mortuo demum, cranii ossa exesa fuisse, intus vero ingentem ichoris putridi pessimæ indolis vim delituisse, a qvo cerebrum una cum nervis opticis corruptum est repertum.

e) *Extenuatio*, velut atrophica, ac plerumqve alieno simul colore prædita, haud raro pro evidenti amauroseos in vita prægressæ causa haberi solet: cui rei etiam non pauca observata favere videntur. Etenim G. ROLFINCIUS (*s*) in cœca qvadam femina utrumqve nervum opticum reperit extenuatum; & I. SCULTETO (*t*) teste „Pa-
„ tavii A. 1620 cadaver pauperculæ cujus-

(*q*) Differt. cit. § 13. p. 345.
(*r*) De lue vener. C. 16 § 17.
(*s*) Differ. anat. L. 4. C. 31
(*t*) Armament. chirurg. Obs. 36.

„ dam, qvæ per 20 annos amaurosi pedetentim invadente laboravit, & tandem cancro mammillæ sinistræ occulto & medicamentis non convenientibus ad thoracis cavitatem detruso miserrime obiit, delatum fuit in theatrum anatomicum, ubi in causam hujus cœcitatis legitimam inqvisitum est. Aperto igitur per serram cranio, inventi duo anteriores cerebri ventriculi subsidentiam passi & conglutinati, per qvos spiritus animalis ad oculos deferri non potuit. Unde nervis opticis sensim marcescentibus (apparebant enim hic duplo minores, qvam in aliis reperiuntur) amaurosis . . . illæsis undiqve oculis inducta fuit; bene enim adhuc nutriebantur, venis & arteriis rite constitutis, nisi qvod arteria ad alterius oculi radicem ingressa turgebat, adeoqve inflammationem qvamdam, menstruis nempe regurgitantibus, insinuabat „. Ita etiam notavit, narrante RIOLANO (*u*), CÆSALPINUS „ in anatome publica . . . repertum fuisse alterum ex nervis visoriis attenuatum, alterum plenum: visus autem erat imbecillis in oculo, ad qvem nervus ex-

(*u*) Anthropogr. L. 4. C. 2.

„ tenuatus ferebatur; habuerat enim vulnus in capite circa eandem partem. Nervus autem extenuatus non ad oppositam partem procedebat, sed ad eandem flectebatur. Unde omnes spectatores argumentum id certum existimarunt, nervos visorios neqvaqvam se intersecare, sed coire & regredi ad eandem partem „. Perinde M. HEILAND (*x*) secuit cadaver femineum, in qvo „ nihil notatu dignum ... „ occurrit, nisi qvod alter oculorum videndi potentia orbatus, nervo optico & flaccidiore & justo minore exsistente, observata hac differentia etiam ultra combinationem in sella Turcica solennem „. Haud secius HENCKELII (*y*) vir 50 annis major, a multis annis epilepticus, & e graviore lapsu a semestri oculi lævi amaurosi laborans, cum tandem in peripnevmoniam lapsus intra 5 dies simul 3 insultus epilepsiæ nactus esset, in 3° eorum obiit. Capite dissecto reperiebatur in sinu longitudinali superiore polypus, in processu falciformi ossiculum, in antico cerebri lobo sinistro apostema ovum columbinum æqvans & flavescente ichore re-

(*x*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. obs. 157.
(*y*) s. SCHAARSCHMIDT l. c. No. 22, p. 198 sq.

fertum: cerebri ſubſtantia illud ambiens erat admodum tenuis. Lævus autem nervus opticus dextro exilior tenuiorqve eſt obſervatus, qvippe qvi ad oculum affectum pertinebat. Sic etiam in HEYI (z) puella dexter opticus nervus præ ſiniſtro erat & conſiſtentior & exilior, cinereiqve coloris. Porro Cl. MERY (a) meminit Præsbyteri ſub vitæ finem cœci, cujus in uno oculo anterior lentis facies erat ulcerata, opaca ipſa lens, humor aqveus turbidus, vitreus vero minus exacte pellucidus: in altero autem tres humores parum pelluciditatis amiſerant, lucem adhuc transmittentes. At in utroqve oculo glandulæ in externo iridis ambitu ſitæ ſolito fuerunt majores... Nervi optici emarcuere, ut nihil ex iis pulpæ exprimi potuerit. Concluditur hinc ergo, altero illo ſaltem oculo, cujus humores lucem transmittebant, viſurum fuiſſe hominem, ſi cœcitatis cauſa non in ipſo fuiſſet nervo optico læſo. Deniqve I. F. ISENFLAMM (b) narrat mendicum peregrinum haud diu poſt, qvam advenit, obiiſſe. Cum nihil de anteacta ejus vita conſtaret, cadaver conſectum eſt. In cra-

(z) Vide §. 106.
(a) Act. Pariſ. A. 1713.
(b) Verſuch einig. pract. Anmerk. über die Nerven §. 58. p. 169. ſq.

nio nervus opticus dexter inde a conjunctione cum lævo usqve ad orbitam griseus, corrugatus, exsiccatusqve repertus est; bulbus qvoqve corrugatus, & ex toto erat destructus; lens degeneravit in corpus exiguum, durum, subfuscum. Circiter ad 2 pollices a margine orbitæ extrorsum aderat insignis firmiterqve concreta cicatrix a vulnere olim inflicto, sub qva os frontis pertusum, nec nisi molli cartilagine expletum erat, qvæ tamen liberum adhuc ingressum usqve in cavum encephali reliqvit. Cœcum illum hoc oculo fuisse oportet. Cl. Auctor vero seqventia subjungit qvæsita: Utrum a vulnere olim inflicto nervi oculiqve vitia reperta repetenda, qvamvis illud non videatur eo usqve penetrasse? an potius diversa fuerit cujuslibet vitii origo? An destructio bulbi a nervo exsiccato? Cur siccitas hæc non ultra conjunctionem versus thalamos excurrit? An forte potius nervi frontalis læsio destructionem bulbi, & hæc optici nervi exsiccationem post se traxit? Digna omnino singula, qvæ ad pleniorem amauroseos pathologiam obtinendam, pro eo ac par est, excutiantur; & qvantum ad postremum qvæsitum attinet, ad illud faciunt omnino aliqvid observationes CAESALPINI & HENCKELII paulo ante memoratæ. Qvidqvid sit,

illud tamen ex allatis casibus liquido confici videtur, amaurosin haud raro nervorum opticorum extenuationi deberi. Non tamen usqve adeo res evicta est, ut non aliqvam præ se ferat ambiguitatem, qvam binæ in primis observationes I. B. MORGAGNII (c) induxere, nimirum: „ anicula (narrat ipse) „ decrepita & clauda .... ex brachii, si „ recte memini, abscessu mortua est. ... Cra- „ nio exemptum cerebrum, inversumqve „ cum inspectarem, carotidis utriusqve ar- „ teriæ truncos, majoresqve horum ramos „ animadverti firmiores apparere, inveni- „ qve, eorum parietes revera crassiores esse „ factos. Contra cum essent nervi ceteri, „ & præsertim 4ti & 5ti paris, pulcherrimi, „ firmi, & magis, qvam soleant, crassi, „ opticos cinereo colore, angustos, & in „ tenuis instituæ modum depressos videbam, „ & medullarem illam, qvæ, ubi inter se „ accedunt, ipsis interjicitur, partem satis „ qvidem latam, sed colore & tenuitate ni- „ hil ab ipsis discrepantem. Ipsi vero intra „ orbitas progressi, etsi colore erant albo, „ crassitudine autem qvasi mediocri; incisi „ tamen ostenderunt, albedinem illam, nec

---

(c) l. c. Epist. 56. No. 21. & Epist. 63. No. 8.

„ parvam craſſitudinis illius partem meningi-
„ bus deberi ſuis craſſioribus factis, intra
„ qvas tanqvam intra tubum qvemdam fir-
„ miuſculum ſubſtantia concludebatur, in
„ altero præſertim nervo, ſangvinolenta.
„ Cum oculus, ad qvem is nervus tende-
„ bat, non ſecus ac alter, nihil, ſi exterius
„ aſpiceres, vitii monſtraret, ne interius
„ qvidem, cum diligenter a me ſecaretur,
„ vitii oſtendit qvidqvam; ut præclare in-
„ telligerem, hunc a me alias tibi deſcri-
„ ptum opticorum nervorum morbum non
„ ſemper a vitiatis, cœcisqve prorſus ocu-
„ lis (hanc enim vetulam, qvod permirum
„ eſt, niſi forte altero oculo nonnihil vide-
„ bat, cœcam fuiſſe negabant) occaſionem
„ & originem habere, ut neqve a cerebro,
„ ſed in nervis ipſis aliqvando primum ori-
„ ri. Hic certe cum cerebrum, intra qvod
„ hos nervos ob eorum tenuitatem vix
„ potui perſeqvi, accurate diſſecuiſſem, ni-
„ hil in eorum via, nihil in eorum tha-
„ lamis vitiatum offendi. Et qvamqvam
„ hippocampos ad imam extremamqve
„ ſui partem neqvaqvam, ut ſolent, ſe
„ dilatantes animadverti; nullum tamen
„ vel minimum exſtabat indicium, qvin
„ ſic a primordiis ipſos fuiſſe judica-
„ rem. Nec præter hoc inſoliti non modo

„ morbidi qvidqvam in cerebro toto fuit, „ nisi qvod in 4° ventriculo pro medullaribus illis fibris, qvæ utrinqve occurrunt „ ut plurimum, ad nervos acusticos pertinentes, vix uno in latere una fuit, eaqve exilis, & inferius, qvam soleat, orta „ & locata „. Porro „ senis... (inqvit) „ ex cachexia, ut ajebant, ... mortui cadaver cum ... secaremus, ... thorax, ut „ venter qvoqve, nihil qvidem habuit effusæ aqvæ; sed non sine duritie pulmones, „ sinistrum præsertim, qvi arcte insuper spinæ „ adhærebat (adnotavimus). Cranii fornix, qvi non sine vi avelli potuerat, consveta majori, intus erat foveis pluribus „ excavatus in osse frontis, & in altero sincipitis, aliis qvidem minoribus, sed grandioribus tribus & profundioribus, qvarum „ duæ ad os illud, reliqva ad hoc spectabat, eaqve non modo, ut illæ, exterius „ lamella dumtaxat tenui, sed tenui adeo „ operiebatur, ut foraminulis pervia appareret... Etsi vero in cerebri dissectione „ septum lucidum & fornicem laxa præter „ omnem modum, imo inter duas ejus septi laminas aqvæ aliqvid deprehendi, in „ lateralibus autem ventriculis aqvam ejus „ similem, in qva recens caro lota sit, non „ multam qvidem, neqve cum pallore cho-

„ roidis plexus conjunctam; cerebri tamen „ ipsius & oblongatæ medullæ, & nervo- „ rum ex hac orientium, substantiam satis „ firmam, & omnino secundum naturam, „ inveni. Qvo magis me perculit nervi opti- „ ci dextri constitutio, qvi cum ad unio- „ nem usqve cum sinistro sanus prorsus, hu- „ jusqve simillimus fuisset, repente ab unio- „ ne minus qvam sinister, evidentissime cras- „ sus, & ad cinereum colorem accedens „ conspiciebatur, & sic ad orbitam pergebat. „ Qvamobrem continuo, an cœcus oculo „ dextro homo fuisset, sciscitatus sum, & „ cum id diserte negaretur, oculum illum „ inspectavi, nec minus sinistro pulchrum „ sanumqve deprehendi: neqve intra orbi- „ tam opticum illius nervum ab sinistro „ qvidqvam jam differre amplius conspexi, „ nisi qvod paulo minus tamen erat cras- „ sus„. Hæc ille. In utroqve ergo casu aderant optici nervi extenuati, decoloresqve, dexter in posteriore, ambo in priore, citra ullam tamen cœcitatem. Sed qvod his ipsis, accuratis licet, observationibus præsentem in rem derogat, est, qvod ægrorum ipsorum circa visum ejusqve magnitudinem nulla, dum viverent, confessio, medentiumqve in id indagatio, præcesserit. Qvid enim alii a morte pro certo affirma-

rint, nisi visum in vetula adfuisse? Sed nec qvantus, nec unone an utroqve in oculo, fuerit, resciri poterat, præsertim cum alter opticorum præ socio vitii plus habuerit. Perinde res in sene est; nam etsi cœcus dextro oculo haud fuerit, potuit nihilominus eodem debilius, qvam altero, vidisse; præsertim cum nervi vitium nondum totam ejus longitudinem ad bulbum usqve corruperat. Ex prius enim allatis casibus confici potest, cœcitatem ab hocce nervi vitio non subito, sed prout istud sensim invalescit, iisdem gradibus accedere. Sic CÆSALPINI in casu nondum amaurosis perfecta, sed imbecillus erat visus in oculo, cujus nervus opticus attenuatus erat. Perinde SCULTETI paupercula per 20 annos amaurosi non subita sed pedetentim invadente laboravit, prout scilicet nervus semper plus marcescebat. Verum etsi hæc sic satis extenuationi nervorum opticorum in amaurosi producenda favere videantur, tamen non dum omnia, qvæ MORGAGNIUS (*d*) adversum eam, ut amauroseos causam, adducit, sunt remota. Haud ille qvidem in totum pernegat, amaurosin ab hac oriri causa „ sæpe tamen (in- „ qviens) ipsa nervi extenuatio, aut illud

---

(*d*) l. c. Epist 13 No. 11.

„ potius vitium nervi, qvod extenuatio „ conseqvitur, cœcitatis causa est „ : verum „ si qvis dicat, ne cœcitatem qvidem „ cum extenuatione ejus nervi conjunctam „ ab hac semper esse repetendam; sed interdum potius hanc illi succedere, vel „ qvia a suo diu cessans officio is nervus, „ ut pleræqve aliæ partes, contabescat, vel „ qvia ex corrupto oculo pravis humoribus per vascula, nervum ipsum intus extraqve comitantia redeuntibus, oblædatur; is sane (ait) refutari non poterit. „ Nam qvomodo aut simul cum oculi corruptione, qvæ ab externis causis inceperit, se nervi extenuatio aliter conjungat, „ aut hæc in adolescente illo sic satis fuerit „ a VESALIO animadversa, cui oculum „ ante annum eruerat carnifex „ ? Narrat enim A. VESALIUS (*e*), adolescenti, cui anno ante dextrum oculum carnifex eruit, gulam laqveo fractam, ejusqve cadaver ad anatomen Patavinam traditum fuisse, in qvo nervus opticus oculi anno ante eruti durior ac rubicundus magis, qvam sinister, cernebatur „ sed ... non admodum neqve „ crassitie neqve mollitie adhuc sinistro ce-

(*e*) De corp. hum. fabr. L. 4. C. 4.

„ debat „. Eadem etiam teſtatur I. VALVERDUS (*f*). „latronibus oculorum altero „ (inqviens) ob primum furtum Venetiis „ eruto evenit, ut poſt annum unum vel „ alterum iterum comprehendantur, & Patavium diſſectionis ergo mittantur, in qvibus ejus regionis nervus, qva oculus ademptus eſt, flaccidus ac prope aridus occurrit, altero interim prorſus illæſo „. Verum nos de cœcitate complicata, a cauſis externis univerſum bulbum peſſumdantibus, qvorſum vulnera altiora ipſius bulbi pertinent, hic non diſceptamus, nedum de marcore nervi optici oculum erutum conſeqvente; agitur hic de ſola amauroſi cum nervi optici marcore juncta, utrum hic illius cauſa ſit habendus, etiam tum, cum oculi ſimul marcor adfuerit, qvalem tribus in cadaveribus ipſe etiam reperit MORGAGNIUS (*g*), imo vulnus etiam præceſſerit, modo bulbum ipſum non penetrarit, ſed parti bus vicinis fuerit inflictum, ut in CAESALPINI & ISENFLAMMII caſibus? Arbitratur MORGAGNIUS, ut prius dictum, veri eſſe ſimilius, optici nervi marcorem velut effectum emarcidi bulbi eſſe; ſed qvi exte-

---

(*f*) Anat. corp. hum. L. 7. C. 3. p. m. 311.

(*g*) l. c. No. 8. 9. & Epiſt. 52. No. 30. Epiſt. anat. 18. No. 40.

nuationem artuum a paralyſi nervorum ad eosdem pertinentium in memoriam revocarit, neſcio, utrum cum Cl. Viro ſit facturus, ac non multo potius contrariam in opinionem abiturus. Verum cum ad controverſiam hanc componendam accuratiores obſervationes deſiderentur, nolim eidem diutius immorari, ac par pari opponentes jure etiam dixerint: eum refutari haud poſſe, qvi contenderit, a vulnere vel retinæ vel alius vicini nervi marcorem nervi optici conſeqvi poſſe, qvem amauroſis ut effectus comitetur, ſeu deinde ulteriores etiam adfuerint læſiones bulbi, ſeu nullæ.

§. 30.

2. SPLENDOR *lucis* ſubitus, magnus, diuturnus, creberve, oculos percellens: qvalis præprimis eſt

a) *Solis* lux. „ Solem ipſum, ait „ GALENUS (*b*), ſi qvis oculis inconni„ ventibus velit intueri, oculos celeriter „ perdat: multiqve in ſolis defectibus, cum „ eum affectum, qvi ſoli acciderat, planius „ noſſe cuperent, fixis oculis ſolem intuen„ tes, imprudentes prorſus fuerunt occæ-

(*b*) De uſu part. L. 10. C. 3.

„ cati „. Exemploqve rem firmaturus refert (*i*), „DIONYSIUM Siciliæ tyrannum „ domum ſuper carcerem conſtruxiſſe clariſ„ ſimam ac longe ſplendidiſſimam, calce il„ litam :.. in eam domum poſtea, qvi diu„ tiſſime carcere infimo fuiſſent concluſi, „ vinctos ipſos ſurſum educebat, qvi ex „ multa ac profunda caligine in ſplendidam „ lucem egreſſi lucem qvidem erant cupide „ intuituri, intuiti vero occœcabantur, lu„ cis ſplendidæ occurſum repentinum ac con„ fertum non ferentes „. Haud ſecius M. GERBEZII (*k*) „ puerpera, qvæ... in „ obſcuro qvidem loco decumbebat, ſed „ qvod ad caſu apertam feneſtram ſolares „ radios fixius intuita fuerit, eatenus ex„ cœcata fuit, ut pro revocando rurſus pri„ ſtino viſu nullum amplius ſua vita reme„ dium repererit „. Multis perinde dimidium periiſſe viſum ait S. YVES (*l*), dum eccliphin ſolis diutius aſpicerent: cujusmodi exemplum P. SALMUTHUS (*m*) memorat

(*i*) Ibidem.

(*k*) Intricati extricati Medici P. 2. C. 20. p. m 199.

(*l*) l. c. 2 Th. 33 Cap. §. 5. p. 346.

(*m*) l. c. Obſ. 83.

de juvene 20 annorum, qvi meridianam solis ecclipsim intentius intuitus ita inde hebetem retulit visum, ut postea ad minores litteras legendas conspicillis opus habuerit.

b) *Lunæ* plenæ splendor. Unicum hanc in rem novi casum, qvem H. ab HEER (*n*) memoriæ prodidit in hæc verba: „vivit etiamnum Medicus non inerudi-„tus, qvi A. 1613 rus vocatus ad nobi-„lem in singulari cum Hispano certamine „graviter saucium, cum noctu somnum ca-„pere non posset, de ægri brachio, qvod „chirurgus amputare volebat, ipse autem „servavit, multa animo versans per pellu-„cidam fenestram Lunam, qvæ forte ple-„nissima erat, ultra 3 horas attentissime in-„tueretur; .... tandem alte sopitus cum „in multam dormisset lucem, famulum ro-„gat, qvota sit diei hora; illo decimam „dicente, aperi fenestras, inqvit, nec enim „qvicqvam præter densissimas tenebras vi-„deo. Famulo clarum mane ultra qvadri-„horium fenestras pulsasse adfirmante, ve-„stes poposcit. Fenestræ demum admotus, „lychnoqve candelæ accensæ applicitis di-„gitis, sero intellexit, nimio lunæ lumine

(*n*) l. c. § 1. p. m. 65. sqq.

„ se

„ ſe omnino vel amauroſi correptum vel
„ excœcatum. Domum reductus in uxo-
„ rem , ſolitum a marito baſium in do-
„ mus limine exſpectantem , ita impegit,
„ ut fere puerum ſinu geſtantem in terram
„ dejiceret. Rogavit illam, curioſe oculos
„ inſpiceret, num qvid in pupilla aut alia
„ parte obſervaret: illa nitidiſſimum utrum-
„ qve adfirmante, cenſuit Medicus vel ce-
„ rebri vel nervi optici (nec enim ſuſpicio
„ humoris cryſtalloidis, cum caſu ictuqve
„ nullo concuſſus eſſet) vitium eſſe ... Aliis
„ Medicis, cum abeſſet, cui ſoli credere
„ ſe voluiſſet, non vocatis, certiſſimus vel
„ cito mori vel viſum recuperare, ſangvinis
„ iterata, poſt phlebotomiam, etiam cu-
„ curbitarum appoſitione, ſumptis aliqvoties
„ pilulis lucis cum cochiis, naſalibus vali-
„ diſſimis uſus, 18° die clare videre cœ-
„ pit. Ceterum omnia ipſi gemina oculis
„ obverſabantur, ita ut nec legere nec ſcri-
„ bere poſſet, niſi altero oculorum clau-
„ ſo... Infuſo itaqve ſenæ & fumariæ cum
„ aniſo & fœniculo per epicraſin, condito-
„ qve caput & oculos roborante uſus, ſin-
„ gula ut prius & accurate vidit; ceterum
„ qvæ in plateis in linea occurrebant recta,
„ ut eqvos vel bigas, totis a latere 18 vel
„ pluribus diſſita pedibus cernebat. Tum

„ veficis fæpius in nucha fcapulisqve, cu„ curbitarum longa applicatione excitatis, „ vaporeqve & halitu aniforum modo co„ ctorum, modo mafticatorum, optimaqve „ victus ratione, fub finem 5^{tæ} ab amauro„ fi hebdomadis vifum ... perfectum re„ cepit.„.

c) *Fulguris* claritas, a qva vifum perdi obfervavit S. YVES (*o*), id qvod pyrotechna qvoqve HEISTERI (*p*) eft expertus. SCHMUCKERUS (*q*) etiam virum feminamqve novit, qvi dum graviffima tempeftate iter facientes fortuito in fulgur intuerentur, ambo fubito vifu privati funt cum extraordinaria pupillarum amplitudine, nullis remediis amplius recuperando. Fulguri affines funt pulveris pyrii intra machinas bellicas corufcationes vifui perinde inimicæ. Etenim tefte J. RHODIO (*r*) „ GUSTAVO magno Svecorum Rege Fran„ cofurti ad Oderam impreffionem faciente, „ machinæ fulmen Centurioni fortiffimo M. „ DE LA ROCHE... luminis ufum ademit „.

(*o*) l. c. §. 5.
(*p*) Vide §. 16. c.)
(*q*) l. c. p. 6.
(*r*) Obf. med. Cent. 3. Obf. 93.

Qvorſum etiam J. SCHENCKII (s), opinor, obſervatio eſt referenda, dicentis „ civem Argentinenſem... novimus, cui in „ obſidione Metenſi ex horribili bombardarum & cannarum muralium exploſione... „ & metu, citra aliam externam vel ignis „ vel pulveris bombardici, aut alterius offenſam, viſus irreparabili damno ſubito „ periit... Qvamqvam... nulla... labes „ maculave in oculis notari potuerit „.

d) *Flammæ* luculentia. I. HOLLERIUS (*t*) piſtorem refert juxta furnum ignitum repente cœcum evaſiſſe. S. YVES (*u*) qvoqve hominem Pariſiis vidit, qvi dum pullum gallinaceum aſſandum ad veru alligaret, a luculento nimis igne, ad qvem propius conſtitit, amauroſim incurrit. Meminit etiam alterius (*x*), qvi in monetario opere metallum ignito crucibulo indens a ſplendore ignis cœcus eſt effectus. Haud ſecius S LEDELII (*y*) calefactor, pluribus qvotidie in fornacibus ligna recentia ſuccendens, non tam ab eorum fumo acri, ut auctor vult, qvam

(*s*) l. c. L. I. Obſ. 306.
(*t*) De morb. intern. Schol. ad C. 20. p. 147.
(*u*) l. c. §. 3.
(*x*) Ibidem §. 4.
(*y*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 10. obſ. 18.

a vicina oculis flamma aliqvo post tempore visu est privatus.

e) *Monetæ* novæ nitor, aliorumve corporum metallicorum. Sic HEISTERI (z) mulier e crebro monetarum argentearum nitentium aspectu in amaurosim incipientem incidit.

f) *Nivis*, vel *arenæ* a sole præsertim collustratæ, candor, itinerantibus vel maxime per nivosa arenosave loca haud raro visum lædit, ac maculas nigras oculis obversantes causat (*a*). Perniciosum esse oculis per nives iter facere GALENUS (*b*) & ad qvotidianam experientiam, & ad XENOPHONTIS militum exemplum, provocat; id qvod HEISTERI qvoqve bini confirmant casus, alter alibi (*c*) jam memoratus, alter vero in Auctore (*d*) videndus. De maculis autem ab itinere per arenosa loca ita BOERHAAVIUS (*e*): „ pessimæ sunt (in„ qvit) hæ maculæ sub cœlo continuo

(*z*) Vide histor. 3.

(*a*) Vide §. 16. b).

(*b*) l. c.

(*c*) Vide §. 16. b).

(*d*) l. c. 1 Band No. 400.

(*e*) l. c. Cap. 1. de morb. ocul. intern. §. 78. No. 12.

„ æstuante & reflexo solis ardore, ubi in „ amaurosin facile degenerant, maxime cum „ homines continuo inspicere cogantur are- „ nam albam lucis radios ad oculum refle- „ ctentem. Hinc Arabibus, Persis, & Ægy- „ ptiis maxime communis est morbus, iis- „ qve oculi pleni sunt imaginibus; qvia in „ calidis regionibus itinera facere coguntur „ per deserta arenosa. Princeps RADZI- „ VIL refert... Carabistas fere omnes hoc „ morbo laborare, sine dubio qvia per talia „ loca calida arenosa sæpius itinera faciunt„. Ipse etiam BOERHAAVIUS (*f*) id genus malum ab eqvitatione summo in æstu per arenosa loca est expertus.

g) *Microscopiorum* crebrior inspectio. Qvanta enim luce ad intuenda ope eorumdem objecta minutissima sit opus, nemini, qvi periculum rei fecit, ignotum est (nihil ut de oculi ipsius his machinulis applicari soliti nimia intensione dicam, qva nervus opticus admodum debilitatur). Lux hæc clarissima ab speculo supposito (de compositis microscopiis loqvor) recta ad oculum reflectitur adeo, ut ipsum te sole m intuer credas, nisi qvam objectum intercipit exi-

(*f*) l. c. §. 89.

guam: qvid itaqve mirum visum inde jacturam pati? HOUTTUYN (g) meminit hominis, ab juventute visu acri pollentis, qvem tamen crebra microscopiorum usurpatione usqve adeo labefactavit, ut mane qvodam expergefactus oculo sinistro, indolente licet, parum admodum videret, qvæ amblyopia pedetentim aucta in plenam tandem adolevit cœcitatem, nulla conspicua in oculo labe. Anno inde post opaca macula alba pone pupillam observari cœpit, haud ita multo post in flavedinem ac demum virorem abiens, ut malum pro glaucomate haberetur. Post biennium levis oculum ophthalmia, haud qvidem diuturna, corripuit; sed brevi post oculus inter vehementes dolores intumuit ad magnitudinem ovi gallinacei: qvo in statu dum vice qvadam æger valentius nares emungeret, vehementem dolorem ac strepitum insignem in capite persensit, qvem continuo hæmorrhagia ex interno oculi cantho est per bihorium consecuta: hanc somnus excepit, qvo finito æger dolore vacuus oculum collapsum observavit.

Ex multiplicibus his exemplis abunde colligitur, qvantum efficaciæ insit materiæ

(g) Hist. de l'Acad. Roy. des Sc. A. 1769. p. 43.

luminosæ uberius oculis admissæ ad eorumdem visum aut minuendum aut etiam prorsus pessumdandum. Sed enim vero percontanti, qvi id accidat, qvid e physiologia qvid e pathologia es deprompturus? Pronum utiqve est dicere, debilitatem inde vel vasis ophthalmicis vel ipsi nervo conciliari (*b*); verum si momentum virium luminis in vasa aut retinam incurrentis e calculo & experimentis æstimemus, facile apparebit, qvam parum ii ad physicen respexerint, qveis celeriter similia e calamo profluxere. Nam cum vulgo notum sit, virium vivarum mensuram e massa in celeritatem simplicem (ut NEWTONUS æstimavit) vel ejus qvadratum (e mente LEIBNITZII) ducta obtineri; luminisqve moleculas stupendæ exilitatis, immensa licet pernicitate motas, tam exigua motus qvantitate esse præditas, ut qvantumvis speculis causticis in focum coactæ ne paleæ qvidem aut plumulæ mobilissimæ loco movendis sint pares: qvid qvæso ab inæstimabili id genus impactu seu in vasis seu nervo debilitatis produci poterit? Qvod si id de ipso solis lumine recta ad nos contendente in comperto est, qvanto etiam minus

(*b*) OEHME Differt. cit. §. 9.

a lunæ lumine impingente debilitatis in vasis aut nervo est extimescendum, utpote in qvo calor nulla adhuc arte detegi potuerit (*i*), ne in mobilissimis qvidem thermometris observabilis, & qvod in plenilunio ipso sit 300000 vicibus rarius lumine solis diurno (*k*)? Abstrusior ergo modus, qvo subitum ac vehemens lumen visum pessumdat, qvam qvi ex idea virium vivarum luminis male eruitur, sit oportet. Etsi enim retina ita natura sua comparata sit, ut incurrentis luminis præsentiam percipiat; utrum tamen hæc sensatio ab infinite exigua illa motus qvantitate vel alio peculiari luminis in retinam agendi modo proveniat, haud dum est assertum: ac multo propius verum est posterius, si, qvanta opus sit vi ad plenam subitamqve cœcitatem (i. e. ad perfectam optici nervi paralysin) efficiendam, cogitetur; qvam utiqve vim memoratæ luminis; præsertim lunaris, vires vivæ nunqvam exæqvare possunt. Qvæ cum ita sint, eo etiam augetur magis difficultas explicandi modum læsionis, qvam hocce in morbo

(*i*) GRAVESAND. Phil. NEWT. inst. L. 3. P. 1. C. 2. §. 777.

(*k*) MUSCHENBR. Introd. ad phil. nat. P. 2. §. 1637. sqq.

a lumine non tam nervus opticus, qvam vasa potius eidem contigua perpetiuntur. Cuncta enim phænomena rite pensata ostendunt, a lumine inductam hic læsionem in vasorum nervo contiguorum infarctu consistere, a qveis ille comprimitur: siqvidem amaurosim hincce profectam, modo curationem admittat, validæ crebræqve vacuationes, & repellentia externa, optime profligare visa sint, id qvod testantur in primis casus H. ab HEER (*l*), HEISTERI (*m*), &c.

§. 31.

3. TUMORES varii pro varietate loci, qvem obtinent, varie amaurosin producunt, nempe

a) *Colli* strumosi scrophulosive, jugularibus venis incubantes, ac sangvinis ab encephalo reditum ad cor remorantes: unde vasorum ophthalmicorum infarctus & nervi optici ac retinæ compressio & amaurosis conseqvitur; qvæ sublatis id genus tumoribus nonnunqvam feliciter aboletur, qvemadmodum STRACKII juveni apud STÖRCKIUM (*n*) accidisse videre est.

(*l*) Vide §. præced. b).
(*m*) Vide histor 3.
(*n*) Vide §. 72. No. 2.

b) *Encephali*, pressione sua nervos opticos paralyticos reddentes, ut sunt vomicæ clausæ, steatomata, strumæ, hydatides, exostoses, &c. Sic DRELINCURTIUS (*o*) cœcitatem, ac demum ipsam mortem, illatam refert a tumore inter cerebrum cerebellumqve ad pugni magnitudinem enato, steatomatisqve consistentiam habente. Perinde GÜNZII aut BINGII potius juveni, referente I. B. G. OEHME (*p*) „adversa vale-„tudine diu utenti oculi subito occœcati „sunt, tandemqve vita exstincta. Ubi cor-„pus post mortem incidebatur, præter stea-„tomata qvædam super costis, & intus in „pectoris cavitate atqve pulmonibus, re-„perta, duo inventa in capite sunt, ovum „columbinum magnitudine superantia. Ossi „frontis, qva orbitam facit, & cribriformi „laminæ utrinqve incumbentia nervum etiam „opticum velabant, & comprimebant, a „qvo proinde amaurosis videbatur orta esse. „Ossa tamen, qvibus incumbebant, erosa „simul ac fere consumpta inventa sunt„. Hunc ipsum postea casum industria P. R. WANDELERI literis fusius mandatum in

---

(*o*) BONET. Sepulcr. anat. L. 1. S. 18. Obs. 10.
(*p*) l. c. §. 8. p. 19.

lucem edidit B. I. BUCHWALDUS (*q*). Haud secius F. H. L. MUZELL (*r*) narrat, pyrotechnam 40 annis majorem cephalæa vehementissima, qvam febris acuta post se reliqvit, integro anno laborasse cum totali pene visus jactura: pupilla amplissima erat, ac tam parum mobilis, ut post perfrictas etiam palpebras exiguus nonnisi motus in eadem perciperetur. Aderat simul utroqve in oculo insignis adnatæ bulbum palpebramqve investientis inflammatio cum pulsu pleno ac duro. Idcirco cum larga in brachio V^æ S° facta, ac sæpius deinde iterata, ubertimqve data temperantia, nil proficerent, cathartica ☿lia sat valida & crebrius dabantur; nuchæ admotum vesicans, & in fluxu servatum; nec omissa externa refrigerentia & roborantia. A qveis etsi vis inflammationis est infracta; pertinax tamen ad omnia remedia mansit cum oculorum rubor tum continua cephalæa omnem vix non somnum arcens: unde vires admodum dejectæ. Atqve altero fere anno jam ita exacto æger

(*q*) Prodr. prævert. contin. Act. med. Hafniens. p. 117. sqq.

(*r*) Med. u. chir. Wahrnehm. 2. Samml. cas. 14. p. 89.

demum febre acuta inflammatoria corripitur cum celeri duroqve pulsu, cui se mox per principia junxit vehemens delirium ferox, ingens calor, ac siccissima lingva. Væ Se necqvidqvam sæpe facta, datisqve copiosis temperantibus, ac rursus vesicantibus admotis, homo nihilo secius die 4° interiit. In cadavere abdominis ac thoracis viscera nihil præter naturam exhibuere: at cranio duraqve matre apertis vasa piæ matris & substantia corticalis admodum sangvine abundabant, ac inflammationis indicia dabant. Cerebro taleolatim confecto multæ cruoris guttæ prorumpebant, liqvido docentes, causam febris postremæ cerebri inflammationem fuisse. Demum anticis cerebri lobis elevatis in regione sellæ turcicæ conspiciebatur induratio cerebri, parvam juglandis nucem æqvans, qvæ nervis opticis insidebat, & amauroseos causa exstitit. Similem qvoqve causam amauroseos HAENIUS (*s*) in puella detexit. Ita etiam narrante F. PLATERO (*t*) „ Gallus qvidam ... annos natus 24... dolore „ capitis correptus est. Mox secuta febris, „ qva cessante cephalalgiæ reliqviæ aliqvæ

(*s*) Vide §. 116.

(*t*) Obs. med. L. 1. p. m. 102. sqq.

„ nihilominus remanſerunt cum vigiliis & „ capitis imbecillitate. Tandem in oculo „ ſiniſtro viſio obſcurari cœpit ; & poſt „ menſem etiam in dextro oculo : ſecutaqve „ eſt paulo poſt in utroqve oculo omnimo- „ da amauroſis . . . nullo vitio in oculo ap- „ parente. Poſtmodum etiam cœcus ille con- „ vulſionibus laboravit, qvæ illum per vi- „ ces tota hyeme affligebant, qvibus initio „ veris ceſſantibus ſupervenit tuſſis, febris „ hectica, exſpuitio purulenta, & tabes, „ qva diu moleſtatus & conſumptus tandem „ exſpiravit. Corpore . . . aperto pulmo- „ num vitium deprehendimus. Verum cum „ cauſam cœcitatis aperta calvaria in cere- „ bro perqvireremus, invenimus cerebrum „ aqveo copioſo humore irriguum, partem- „ qve illius anteriorem ; ſiniſtra præſertim „ in ſede, tumidiorem ; a qva cum portio „ adimeretur, inventus eſt tumor ſeu glo- „ bus qvidam glandulæ ſeu ſtrumæ inſtar, „ incluſus in cerebri ſubſtantia, ab ea ta- „ men ſeparatus, propriaqve membrana du- „ ra contentus, per qvam venæ aliqvæ ca- „ pillares diſperſæ erant, ovi gallinacei ma- „ gnitudinem ſuperans, inæqvalis, & for- „ mam pineæ nucis exprimens, cujus inte- „ rior ſubſtantia alba & æqvalis, ovi albu- „ men coctione induratum referebat, ſed

„ durior illo erat. Hic cono obtufiore non
„ nihil furfum prominebat, bafi vero latio-
„ re ventriculo cerebri anteriore fede inni-
„ tebatur, & pondere fuo, qvod erat ℥ xjv.
„ nervorum opticorum exortui in cerebro
„ incumbebat, eosqve comprimebat. Qvam
„ caufam fuiffe cœcitatis, qvod cum fpiri-
„ tus animalis tranfitus ad oculos fuerit im-
„ peditus, conclufimus; cum alioqvin in
„ nervis opticis nulla obftructio aut aliud vi-
„ tium, uti nec in oculo, apparuerit „.
Eundem in modum SAUVAGES (*u*) „ vidit
„ bis in puerulis fcrophulofis amaurofim
„ etiam fubito ingruentem; fecto cadavere
„ invenit glandulam ftrumofam nervis opti-
„ cis incumbentem „. Porro „ I. HUAL-
„ DUS, inqvit G. BALLONIUS (*x*), annos
„ natus 22 de dolore capitis qveritur, hu-
„ miditate cerebri effufa in nervos opticos
„ occæcatur. Adverfus id omni præfidio-
„ rum genere oppugnatur, nihil proficitur.
„ Audio tandem vifum aliqvatenus recupe-
„ raffe: dolores perfeverant capitis intole-
„ rabiles. Omnium remediorum vim malum

(*u*) Nofol meth. T. 2. P. 2. Cl. 6. Ord. 1. art. 4. No. 3.

(*x*) Paradigm. 7.

„ ſuperavit; præ mali diuturnitate & vehe-
„ mentia interiit. Aperto cadavere abſceſ-
„ ſus reperti ſunt in proceſſibus .. mammil-
„ laribus. Illos abſceſſus meliccrides vocare
„ poſſis, qvamqvam ad ſcirrhum proxime
„ accedant. Os frontis eroſum erat, & per-
„ foratum vi humoris acrimoniaqve; fora-
„ men erat inſtar qvadrantis, qvi tres de-
„ nariolos pendet... Paulo anteqvam in-
„ teriiſſet, nec videbat nec odorabatur:
„ convulſus interiit. Uno anteqvam interi-
„ iſſet anno, pedes incurvos retractosqve
„ habebat. Tanta fundi calamitas non aliun-
„ de orta erat, ... qvam a latente luis ve-
„ nereæ veneno „. Huc deniqve & W.
BROMFIELDII (*y*) caſus pertinet, nempe puellæ 20 annor. poſt diuturnam multorum annorum cephalæam tandem utroqve oculo amauroſin paſſæ cum inciſus ſuper ſuturæ temporalis proceſſu fonticulus, diu licet apertus, haud magnopere ac ſine levamine fluxiſſet, febris tandem epidemica ſuperveniens mortem intulit. Hac autem fonticulo imputata, qvod ejus materia per ſuturas ingreſſa inflammationem letalemqve cauſaſſet febrem, in luſtrato cadavere ſuturæ cranii ita

(*y*) Chirurg. Wahrnehm. 1 Hauptſtück p. 23. ſqq.

omnes coaluere, vix ut ullum earum toto capite ſuperfuerit veſtigium: tum etiam cranio dempto dura mater ſub ſuturæ temporalis proceſſu perinde ac ubiqve alibi ſanorum in modum eſt reperta. Verum in anticis cerebri foveis (ventriculis) ingens medullaris ſubſtantiæ tumor apparuit, parvum pomum æqvans, & immediate nervorum opticorum thalamis incumbens, ſimulqve in ventriculo cerebri fere ℥ ij humoris ſtagnabant. Credit auctor abolitis mature ſuturis cuncta hæc mala aliud ex alio pullulaſſe. Qvod autem id genus ſteatomata, ſtrumæ, ſcrophulæ, melicerides, &c. cerebri efficiunt, idem etiam latentes abſceſſus ibidem producere viſi ſunt. Sic „A. 1713 die Aprilis ultimo noſodochio „ ſtatus maritimi, inqvit H. LAUBIUS (z), „ illatus... unus ex operariis nauticis Re„ giis, vir procerus & robuſtus, febre con„ tinua gravibus ſymptomatibus ſtipata labo„ rabat, qvam diligenti habita ægroti cura „ ſuperavit qvidem medicina, relicta tamen „ melancholia triſti cum viſus utriusqve „ oculi primo obſcuritate, & poſtmodum „ plenaria abolitione, qvamvis in ipſis ocu„ lis nullum omnino vitium conſpiciendum

(z) Miſc. nat cur. Cent. 7. Obſ. 39.

„ ſe

„ ſe præbuerit. Sub finem æſtatis præter
„ dictam viſus obſcuritatem, qvæ fluente ex
„ aure ſiniſtra pure minuebatur, ceſſante il-
„ lo aucta rurſus, acceſſit tumor pone au-
„ rem ſiniſtram notabilis, qvi ſupervenien-
„ te copioſo puris ex meatu auditorio efflu-
„ xu ceſſabat tantiſper; poſt aliqvot die-
„ rum intervallum vero redibat, & hanc
„ ſcenam ter qvaterve alternis vicibus lude-
„ bat, doloribus inde ortis mox remittenti-
„ bus, mox ingraveſcentibus; donec die
„ 1 Novembr. a. e. apoplectico æger corri-
„ peretur inſultu cum ſenſuum ac motus ab-
„ olitione per 3 dies durante, qvo tempo-
„ re ſtipitis inſtar in lecto jacebat; die 4° lo-
„ qvela, ſed vix diſtingvenda, redeunte,
„ cibum qvidem petiit æger, ſed non niſi
„ pauxillum deguſtavit. Paralyticus in ſini-
„ ſtro latere factus, in dextro ad mortem
„ uſqve convellebatur, qvæ die 11 No-
„ vembr. circa veſperam tragœdiam iſtam
„ finivit... Aperto itaqve ſeqventi mane
„ cranio, illud pro mole corporis præter
„ opinionem tenue inveni, & ſuturam ſa-
„ gittalem ad naſum uſqve excurrentem.
„ Vaſa duræ meningis ſangvine turgebant;
„ in primis circa ſinus puſtulas qvaſi eleva-
„ tas referebant. Inciſa dura matre circa
„ aurem ſiniſtram puris ℥v. ex ipſa cerebri

„ ſubſtantia effluebant; ſupra os petroſum
„ verſus thalamos nervorum opticorum an-
„ tea concluſæ. Reliqva cerebri omnia, ni-
„ ſi qvod vaſa qvævis valde tumida ſangvi-
„ ne, illæſa apparebant. Os petroſum a pu-
„ ris ibi per longum ſatis tempus detenti
„ acrimonia in ſuperficie ſua carioſum erat;
„ dura mater autem cum eodem firmiſſime
„ connexa, qvi ſine dubio locus erat, per
„ qvem pus cum aure communicationem
„ habuit, & exitu ſuo tympanum vel eroſit
„ vel disrupit; qvippe nullum poſt mortem
„ in aure ſiniſtra inveniebatur. Pectoris &
„ abdominis viſcera examinare tunc tem-
„ poris nec licuit, nec neceſſe adeo vi-
„ ſum „. Huc etiam caſus HENCKELII (*a*) referri poteſt, in qvo marcor optici nervi ad oculum amauroticum pertinentis haud inveroſimili conjectura ab latente perinde intra cerebrum abſceſſu repetendus videtur. Haud ſecius hydatides opticis nervis inſidentes amauroſim producunt. P. PAWIUS (*b*) puellam „ diſſecuit ... 18 annor. Hæc ali-
„ qvot ante obitum annis diabete laborarat,
„ adeoqve ſitibunda extiterat, ut unico die

(*a*) Vide §. 29 e).
(*b*) Obſerv. anat. 2.

„ non raro urnas 2. 3ve potus assumeret,
„ nec minore qvantitate urinam indies red-
„ debat. Paucis ante obitum diebus cœci-
„ tate hæc correpta fuit, qva uterqve ocu-
„ lus clarus qvidem exsistebat, nec aut in
„ membranis aut humoribus vitii aliqvid ap-
„ parebat; ipsa tamen nec lumen qvidem
„ candelæ oculis admotæ percipiebat. Huic
„ aperto cranio reperit insignem vesicam,
„ qvæ nervos opticos occuparat circa cru-
„ cifixionem; hac novacula pertusa circ. lib.
„ ſ. aqveæ materiæ limpidissimæ effluxit...
„ Renes huic non absumpti, verum flacci-
„ diores solito, figura cinericia non impen-
„ se rubra „. Deniqve & offei encephali tumores cerebrum, simulqve opticos ita nervos comprimentes huc faciunt. Refert G. SCHOBERUS (c) scriniarium rigidissima hyeme sub dio capite ut plurimum nudato dolantem in vehementes capitis dolores incidisse, qvos postmodo visus debilitas est consecuta. Malum initio neglectum in amaurosin abiit, & qvotidianos fere epilepsiæ insultus causavit: donec post frustra tentata qvæqve, ne ☿ [li] qvidem ptyalismo ac trepanatione cranii neglectis, apoplexia de-

(c) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 9 & 10. Obs. 253.

inum mortem accersivisset. Inde aperto cranio tumor osseus spongiosus inferne in lævo bregmatis osse apparuit, cujus in cellulis substantia medullaris maxima ex parte in gummeam duritiem mutata erat: ejus magnitudo ultra pollicis crassitiem ac 3 digitorum transsversorum latitudinem æqvabat. Membranæ cerebri carnem luxuriantem referebant, ac fere transversi digiti spatium metiebantur. Contra ea alterum bregmatis os cultri mediocris crassitiem haud excedens, luci obversum ejus radios instar cornu pellucidi aut vitri transmittebat. Huc pertinent venereæ encephali exostoses, nervos opticos comprimentes. „ Amauroseos, inqvit „ H. BOERHAAVE (*d*), ex nervo optico „ compresso ortæ exemplum nobis olim sub„ ministravit lues Gallica, in qva visum „ fuit lamellam ossis cuneiformis (qvod ibi „ crassum est, ubi nervus per foramen ro„ tundum in orbita egreditur, & sub fornice „ ossis sphœnoidis transit) exostosi laborasse; „ unde compressus fuit nervus, & unde „ etiam amaurosis orta fuit, integris licet „ cerebro & nervis. Hoc malum incurabi„ le est; nisi qvis voluerit exostosin hanc

(*d*) De morb. ocul. intern. C. 3. §. 111.

„ tollere, qvod ingenti ſalivatione aliqvan„ do factum fuit„ (*e*).

c) *Lentis cryſtallinæ* aut *vitrei humoris*, dum volumine ac maſſa juſto magis increſcentes, ſclerotica cedere non valente, retinam comprimunt. Pro humoris vitrei inflatione nulla licet ſuppetant exempla, niſi qvæ OEHME (*f*) e BONETO (*g*), BRISSEAU (*h*), ac ROLFINCIO (*i*) eo detorqveri poſſe exiſtimat; evenire eam tamen poſſe, non eſt, cur qvis inficietur. At vero amauroſeos a nimis turgida lentis cryſtallinæ molæ profectæ exemplum PELLIER (*k*) ad poſteros dedit.

§. 32.

4. EXTRAVASATA *encephali*, ut aqva, ſangvis, pus, &c. perinde ac tumores premendo, vel acrimonia ſua peſſumdando nervos opticos, amauroſin produ-

---

(*e*) Vide §. 73. ſq.
(*f*) l. c. §. 8. p. 17.
(*g*) l. c. L. 1. S. 18. Obſ. 16.
(*h*) Vide §. 50. No. 2.
(*i*) Ibidem.
(*k*) Vide §. 55. No. 3.

çunt. Sic „ ſi hydrocephalicorum . . . cerebrum, ait V. SCHNEIDERUS (*l*) . . . aqva „ perfuſum eſt, . . . ipſi nervi optici etiam „ vi ſubinfluentis aqvæ nonnunqvam conſumuntur, ut ii disrupti eſſe videantur. „ Hic infans paulo ante mortem lumen „ oculorum amittebat, ſed eos (qvi mos „ hydrocephalicis neſcio qvomodo ſolennis eſt) indeſinenter motabat „. T. WILLIS (*m*) meminit puelli trimulo paulo majoris, gravibus ophthalmiis aqvoſisqve faciei puſtulis interdum obnoxii, qvi tandem in febrem lentam cum perpetuo ſopore prolapſus eſt. Idonea cura adhibita intra 7 dies cum fere ſanus videretur, brevi poſt in priora gravius eſt relapſus, ut jam e ſopore vix expergiſci potuerit. Poſtridie plane ſtupidus, etiamſi acrius vellicatus oculos aperiret, eosqve huc illuc volveret, nihil videbat; atqve intra unam alteramve diem paralyſi totius lateris dextri conſecuta, omnibus fruſtra tentatis, inſenſilis jam, reſpiratione tandem ac pulſu fatiſcentibus, occubuit. Cranii recluſi anterior regio aqva limpida inundata eſt

(*l*) De oſſe cribrif. p. 506.

(*m*) De anim. brutor. P. 2. C. 9. hiſt. 6. p. m. 225.

reperta. Apud eundem (*n*) juvenis sangvineus, sic satis sanus, post lautiorem cœnam immoderatioremqve vini potum in cathedra sedens stupore manus dextræ prehensus est, ut chirotheca ex eadem involuntarie exciderit: deinde se erigens ambulaturus in femore & crure dextro paralysin sensit: paulo post mens hebes torpuit, sui tamen compos; at loqvela tarda ac impedita. Nihil remediorum neglectum; sed paralysi tamen crescente præter motum lateris dextri fere ademptum visus etiam oculi dextri periit. Inde crescente indies malo circa diem 7 vel 8 jam deliria jam convulsiones jam alia emergebant; donec viribus exsolutis mors consecuta est. In capite anterior cerebri cavitas sangvine ichoroso partim concreto & grumoso cum seri copia erat impleta. Ita etiam I. C. BRUNNERI (*o*) aulico 30 annor. robusto, boniqve habitus, visus imminui cœpit, donec remediis neglectis sensim in amaurosin abiisset, simulqve & pedes invalidi fieri, & atroces capitis dolores sævire cœperunt. Postmodo & mente captus aliqvamdiu vixit, usqve dum febre tandem est con-

(*n*) Ibid. hist. 2. p. m. 222.
(*o*) Misc. nat. cur. Cent. 1. Obs. 69.

fectus. In cranio præter numerofas verrucas pifum magnas, paffim in dura matre, præfertim circa arteriarum eam perreptantium ramificationes; radicatas & cum fubjecto cerebro connexas, cerebrum luridum ac in primis antrorfum verfus flavefcens erat, nervis olfactoriis flaccidis flavisqve. Circa opticorum confinia ftagnabat ferum turbidum carotides vicinas & infundibulum ufqve ad motorios inundans. Ceteri nervi etfi nitidi, fero tamen extravafato una cum fpinali medulla ceu fubmerfi: ventriculi cerebri perinde fero referti, cerebriqve fubftantia circa infundibulum nervosqve opticos in faniem ac tabum velut ex abfceffu ufqve ad ipfos ventriculos converfum erat. Cetera vitio caruere. Similem prope cafum I. I. WEPFERUS (*p*) litteris prodidit de homine, „cui aliqvot feptimanis ante obitum ex „apoplexia crudeliffima cephalalgia totum „caput, frontem præcipue & occiput, afflixit, a qva ipfi nec mora nec reqvies; „præ dolore qvandoqve amens erat, ut „qvid vel diceret vel faceret, non raro „nefciret, &c. Altero die ab obitu cranium „aperuit; faucia dura meninge profluxit

(*p*) Differt. de apoplexia hift. 4.

„ ſerum pallidum ſpicei coloris cum impetu „ qvodam, non ſecus ac mediana vena „ brachii ſecta ſangvis erumpit, & qvidem „ tanta copia, ut cyathi aliqvot unciarum „ capaces eo impleri potuiſſent. Hoc ſe- „ rum maxima ex parte colligebatur in ſpa- „ tio, qvod inter duram & piam matrem „ eſt, qvod... amplius & capacius eſſe vi- „ debatur, qvam naturaliter exſiſtere ſolet, „ ſero præ nimia copia duram matrem undi- „ qvaqve expandente „. In HEYI (*q*) qvoqve puella extravaſata id genus lympha eſt reperta. Apud ROUX (*r*) ægra e febre epidemica, caput vel maxime afficiente, decumbens aliqvot ante mortem diebus inde viſu orbata eſt, cujus cerebrum latice aqvoſo undiqve erat inundatum. Porro MARECHAL DE ROUGERES (*s*) meminit gravidæ ad 30 annos natæ, biliosæ, qvæ 9° geſtationis menſe poſt ſummam iram dedolata ſibi viſa fœtum non ſenſit. Hæc biduo: die 3° amauroſis ingruit, ſed facta mox V^æ S^e deſiit: at ½ hora poſt V^æ S^em totius corporis convulſiones emicuere, amauroſis nova ve-

(*q*) Vide §. 106.
(*r*) Iourn. de medec. &c. T. 18. p. m. 199.
(*s*) Ibidem T. 26. p. 48. ſq.

nit, ac valida tormina. V^æ S^e iterum sublata symptomata, sed validiora rediere. Data emetica, pacantia, tonica, V^æ S^o iteratur: spasmi non cedunt, epilepsia singulis momentis repetit. Frustra tentata partus acceleratio; vagina contracta vix digitum admisit; & ægra his in malis post 24 horas obiit. Fœtus mortuus repertus cum cute hinc inde excoriata, & funiculo bis circum collum circumducto. Ambo ovaria, qvorum unum anseris ovum æqvavit, hydropica. Dura mater intime cerebro adhæsit. Circa nervos opticos aqva limpidissima ad ℥ ij. effusa. Vesicula fellea viridi bile plenissima. Freqventissime vero id genus effusiones humorum a capitis contusionibus ortum trahunt. Sic GUERIN (*t*) ab ictu in caput aqvæ sangvinisqve extravasationem letalem observavit: æger brevi post ictum amisit visum non recuperandum. Perinde L. SCHRÖCKII (*u*) virgo 26 annor. phlegmatica, sana, a massa corticum siccorum contritorum in sinistram capitis sui partem fortuito at vehementer projecta terrori & indignationi indulgens mox intense capite do-

(*t*) l. c. p. 236.
(*u*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. obs. 246.

luit, seqvente horripilatione & calore febrili cum virium prostratione; qveis negligentius habitis oculi non tantum largiore seri defluxu, sed etiam sensim omnimoda cœcitate laborare cœperunt, pupillis nigris & amplis exsistentibus, ut ne proxime qvidem admotum lumen sentirent. Accessere convulsivi musculorum in brachiis motus, ac nocturna deliria, & alia. Vesicantibus retro aures, aliisqve idoneis remediis in usum vocatis, fluxus oculorum, dolor, calorqve remisere, at labantibus viribus ægra 11° morbi die, ne minima qvidem luce oculis reversa, placide exspiravit. Die 4° ab obitu cadaver sectum. Externæ capitis partes nihil labis ab ictu præbuere, uti nec cranium: at meningum vasa cruore admodum erant distenta; cerebrum vero etsi non culpandum, ejus tamen in ventriculis mire ampliatis ingens limpidissimæ lymphæ vis, ac ℔ j civilem facile excedens, in primis qva syncipüt spectant, fluctuavit, qvæ nervos opticos omnino flaccidos compressisse judicabatur. Porro „ virum, inqvit I. B. MORGAGNI-„ US (x), crasso ligno in caput incidente „ percussum epilepticæ affectiones, qvibus

(x) l. c. Epist. 9. No. 20.

„ etiam antea obnoxius fuisse dicebatur,
„ multo sæpius per eos, qvibus postea vi-
„ xit, menses & certe ultimis hebdomadis
„ corripiebant. Præterea tremore assiduo
„ qvatiebatur tanto, ut per vincula cave-
„ re debuerint, ne e lectulo excideret.
„ Amaurosis qvoqve supervenerat; nihil
„ enim jam cernebat, qvamvis nullum in
„ oculis appareret vitium, præter dilata-
„ tionem pupillarum. Ceterum qvod ad
„ reliqvas attinebat actiones ... animales,
„ neqve ipse qverebatur, neqve aliis læsus,
„ videbatur, nisi qvod minus promptus erat
„ ad respondendum. Sic affectus, sensim
„ deniqve mortuus est... Cranii fornix, si
„ loca qvædam exciperes, in qvibus secun-
„ dum naturam crassus, introrsum protube-
„ rabat, ubiqve erat usqve adeo tenuis,
„ ut credi vix posset. Qvin certo in loco,
„ qvi ad os attinebat sincipitis dextrum, fo-
„ ramen habuit ellipsis propemodum forma,
„ paulo minus qvam ut apicem admitteret
„ digiti minimi, membrana occlusum, nul-
„ lo prorsus aut ad ejus oras, aut usqvam
„ in cranio toto, vel minimo cariei indi-
„ cio. Ei tamen ita, ut dixi, occluso fora-
„ mini in subjecta dura meninge foraminu-
„ lum respondebat, ex qvo serum colore
„ fusco prodibat. Foraminulum communi-

„ cabat cum cavea magni ovi capace, ple-
„ naqve ſero ejusmodi fuſco, in qvo ſan-
„ gvis concretus non multus ſubſidebat.
„ Erat ea cavea abnormi forma, & inæqva-
„ li intus ſuperficie, cui qvæ partes cere-
„ bri circum proximæ erant, eæ pravo co-
„ lore, qvi ſemicorruptam ſubſtantiam in-
„ dicaret, fuſco obſoleto inficiebantur, præ-
„ ſertim vero baſis cerebri ea pars, qvæ
„ regioni poſteriori impoſita eſt orbitæ dex-
„ træ, & corporis ſtriati item dextri pars
„ anterior, qvæ inſuper ſubſidebat. Sed
„ & nervi optici ejusdem lateris thalamus,
„ qvamvis a cavea remotior, ſtrigoſus vi-
„ debatur. Nervus tamen uterqve opticus
„ intra cranium extraqve inſpectus, uti
„ etiam utriuſqve oculi particulæ diligenter
„ a me diſſectæ nihil uſqvam vitii, qvod
„ qvidem ſub ſenſus caderet, oſtenderunt,
„ ſive colorem, ſive magnitudinem firmitu-
„ dinemqve, ſive ſtructuram ſpectarem. Ce-
„ terum etſi hemiſphærium ſiniſtrum cere-
„ bri nihil habuit eorum, qvæ in dextro
„ adnotata ſunt, in laterali tamen ſiniſtro
„ ventriculo multa erat aqva pellucida, cho-
„ roides autem plexus decolor, cum pau-
„ cis parviſqve veſiculis: tum cerebrum
„ univerſum ſubflavo obſoleto colore, &
„ vaſis nigro ſangvine valde turgentibus.

„ Pituitaria deniqve glandula plurimum de-
„ pressa & parva, non tamen dura„. Claudat harum observationum agmen, qvæ maxime illustris est, C. F. KALTSCHMIEDII (y) historia: mulier (inqvit) septuagenaria 10 ante mortem annis ex petulantia juvenis fuste in capite fortiter percussa & remediis & naturæ robore vero levata evidens inde damnum non statim percepit. Post aliqvot autem menses capitis dolore gravativo indies aucto, postea vero in atrocissimum terminato, ita ut vix rationis usus aliqvalis superesset. Nec medicorum nec chirurgorum ope multum levata tantum non desperavit. Sternutatione vero suborta ad ℔ j. pondus lymphæ per nares emisit, & inde levamen sensit. Adhibitis postea cephalicis fere integrum per annum ab omni sensu tristi immunis. Eadem vero & symptomata & evacuatio post hæc aliqvoties rediere. Anno mortem præcedente denuo cruciatibus capitis misere vexata fluxum lymphæ per nares frustra exspectavit. O-

(y) Progr. de nervis opticis in cadav. latis invent. a compress. per undas facta, &c. 4° Jenæ 1752.

„ culorum vero acie primo; postea omni
„ visu destituta a me auxilium petiit. Ocu-
„ lis nihil præternaturale, nisi pupillam dila-
„ tatam magis, commonstrantibus guttam
„ serenam adesse vidimus. Frustra vero
„ omni remedio adhibito morti succubuit
„ ex apoplexia. Cultro hinc anatomico
„ subjecta cranio aperto meninges aqvarum
„ mole elevabantur, iisdemqve perforatis
„ libra earum una cum dimidia prorupit.
„ Duræ matri firmissime arachnoidea & pia
„ mater in plurimis locis adhærebant, pia
„ matre ex omnibus cerebri sulcis vi aqva-
„ rum sub ipsa fluctuantium remota & ele-
„ vata, plicas & sacculos hinc inde consti-
„ tuente, in qvorum cavitatibus itidem
„ aqvæ reclusæ, qvibus emissis hinc inde
„ tunicæ arachnoideæ partem poteramus se-
„ parare & commonstrare, aqvis mox in-
„ ter tunicam arachnoideam & duram, mox
„ inter arachnoideam & piam matrem hæren-
„ tibus. Ventriculi cerebri aqvis pellucidis
„ repleti, & corpus callosum vix septi pel-
„ lucidi crassitiem referebat. Omnes sinus
„ æqve ac reliqva vasa sangvifera sangvine
„ admodum turgida ac distenta, & plexus
„ choroideus uvæ instar & varicosus curio-
„ sum exhibebat spectaculum. Qvod vero
„ maxime recenseri meretur, est aqva circa

„ nervos opticos collecta ita, ut a thalamis
„ nervorum opticorum facculi ad eam us-
„ qve partem nervorum opticorum hære-
„ rent, ubi illi contigui & qvasi coaliti con-
„ spiciuntur. Sacculis a nervis opticis for-
„ matis inferius firmiter adhærebant nervi
„ optici, neqve rotundam, sed usqve ad
„ eam cranii partem, qvam perforant, com-
„ pressi & lati, apud me adhuc servati, ca-
„ lami scriptorii contriti & firmiter com-
„ pressi figuram exhibuere. Compressi igi-
„ tur ab aqvis incumbentibus spirituum in
„ ipsis motum & oculorum cum cerebro
„ commercium intimius continuare non va-
„ lidi paralysin tunicæ oculi retinæ, & gut-
„ tam in hac ægra serenam produxerunt„.

§. 33.

5. MOTUS *muscularis* intensius, sangvinem rarefactum uberiore copia ad encephalon determinans; unde vasorum infarctu stamina opticorum nervorum vel in origine sua, vel decursu, vel expansione in retinam comprimuntur, & amaurosis enascitur. Hujusmodi motus musculares in primis sunt

a) *Cur-*

a) *Curſus* celer ac protractus, a qvo puer MARXII (*z*) amauroſin contraxit; vel iter longum in æſtu, a qvo HEISTERI (*a*) æger maculas nigras (*b*) oculis obvolitantes nactus eſt. Haud enim qvemqvam præterit, reſpirationem a muſculari partium thorace inferiorum motu concitatiore anheloſam fieri ob celeriorem ſangvinis venoſi ex inferioribus partibus ad cor reditum, præ illo, qvi a ſuperioribus appellit, &c. Unde in encephali vaſis accumuletur ſangvis, eſt neceſſe.

b) *Nixus* crebri ac validi in levandis vel portandis oneribus gravioribus, partu, &c. a qveis rubor intenſus faciei obortus abunde arguit, capitis vaſa ſolito plus eſſe infarcta. I. L. SCHMUCKER (*c*) ſæpe vidit milites itinere properato ſub æſtu ac magno onere ſubito perfecteqve cœcos fieri. RICHTERUS (*d*) „ hominem novit, qvi dum „ incurvo valde corpore grave portabat „ onus, oculos ſibi obnubilari ſenſit; in-

(*z*) Vide §. 104.
(*a*) Med. chir. Wahrnehm. 1 Band No. 134.
(*b*) Vide §. 16. b).
(*c*) Vide §. 66. No. 1.
(*d*) Obſ. chir. faſc. 2. cap. 5. p. 75.

„ crevit dein hæc oculorum hebetudo, & „ poſt aliqvot hebdomades perfecta orta eſt „ amauroſis, cuicunqve remediorum gene- „ ri reſiſtens. Plurimos eorum, qvi in me- „ tallifodinis Hercinicis laborant, amauroſi „ corripi obſervavit; interroganti... qvid- „ nam illis negotii eſſet in cryptis illis ſub- „ terraneis, pleriqve reſponderunt, gravia „ ſe qvotidie prono corpore portare one- „ ra „. Idem accidit ejusdem (*e*) piſtori, dum triduo ponderoſam farinæ maſſam ſubigeret. Perinde ſe res in validis parturientium nixibus habet, præſertim ſi partus laborioſior ſit. P. HOECHSTETTERUS (*f*) matronæ meminit, qvæ ob ſclerophthalmiam, pſeudophthalmiam, vel etiam epiphoram, in cœlibatu adhuc toleratas, vixqve plurimis vacuationibus variis cedentes, debiliora viſus organa retinens, tandem diuturnioribus partus doloribus agitata paulatim cœca evaſit. Parit noctis initio mortuum fœtum. Mane altero hora 6ᵃ, cum pridie matutina hora 7ᵃ cœcutire inciperet, viſus iterum rediit, poſt 23 horarum cœcitatem. Sic etiam I. G. BRENDELIUS (*g*) „ ex partu

(*e*) Vide §. 68.
(*f*) Obſ. med. dec. 9. caſ. 6. p. 339.
(*g*) Opuſc. med. argum. P. 3. Diſſ. 15. §. 7. p. 33.

„ difficili amaurosin . . . horis a partu pau„ cis invalescentem in paupercula, ante par„ tum integerrimæ sanitatis, ... observa„ vit„. A congestione humorum ad caput malum hoc id temporis oriri, multis contendit, nec abs re, M. ALBERTI (*h*).

§. 34.

6. AFFECTUS *animi* vehementes, diuturni, ut ira, terror, mœror, &c. Amauroseos una nocte in femina e mœrore ob filii mortem obortæ exemplum notavit I. HERCULANUS (*i*). A vehementi ira eandem natam meminere F. HOFFMANNUS (*k*) in studioso, & in Ecclesiastico RICHTERUS (*l*); qvæ forte etiam matronæ ROTHARTI (*m*) morbum acceleraverat. Plurimum hic tamen terror potest. Sic „ nobilis qvidam juve„ nis, qvi curæ RICHTERI (*n*) se com„ misit, seqventi occasione visum perdide-

(*h*) Diss. de visus obscuratione a partu. 4° Halæ 1732. Resp. J. F. ARNOLDI.
(*i*) Comm. in RHASIS L. 9. C. de debilit. visus.
(*k*) Vide histor. 2.
(*l*) Vide §. 64. No. 3.
(*m*) Vide §. 60. No. 4. f).
(*n*) l. c. p. 79.

„ rat: fulgur ſcilicet tempeſtate orta ſumma „ cum vehementia proxime illum decidens, „ cariſſimamqve cognatam occidens viſu mo- „ tuqve perterritum illum ſubito privat. „ Rediit qvidem paulo poſt motus viſusqve, „ remanſit tamen in oculis, ſaniſſimis ante, „ labes, increſcens dein ſenſim ad amauro- „ ſin uſqve perfectam, qvæ, qvidqvid etiam „ tentaretur, nullo modo tolli potuit. Il- „ lud in primis in hoc caſu memoratu di- „ gnum eſt, dextrum illius oculum penitus „ occœcatum, & ne minimum qvidem ſum- „ mi ſplendoris ſenſum habentem, objecta „ ad latus externum poſita obſcure vidiſſe, „ qvamqvam tota pupilla clariſſima appare- „ ret„. Idem e terrore malum ejus (*o*) puerpera, tum ALBRECHTI (*p*) mulier, ac WEPFERI (*q*) matrona, ſunt expertæ. Neqve aliorſum, opinor, pertinet amauroſis illuſtris illius feminæ ab inſolita nocturna tempeſtate coorta territæ, qvam R. MEAD (*r*) in lunæ efficacia, ſuæ hypotheſeos amore, qvæſivit. Num etiam ex terrore

(*o*) Vide §. 86.

(*p*) Vide §. 57. No. 1.

(*q*) Vide §. 60. No. 4. a).

(*r*) De imper. ſolis ac lunæ C 3. Coroll. §. 4.

„ P. C. RUFUS... dormiens oculorum visum amisit, cum id sibi accidere somniaret„ (s)? Ab ira, mœrore, aliisqve animi affectibus qvid mirum est Hildesiensem RICHTERI (t) juvenem visu esse orbatum, cum singuli seorsim idem causent? tametsi vario qvisqve modo. Ira profecto sangvinis rarefactione & versus caput raptu; flammeus enim ira furentium vultus, & freqvens inde apoplexia, aliaqve hujusmodi phænomena, satis id superqve docent. Sed nec præcordiis ira parcit, ut bilis vomitus &c. commonstrant: & forte in his ipsis ratio sufficiens sangvinis versus encephalon ruentis per iracundiam delitescit. Mœror vero melancholiæ genus qvoddam est, primario fere viscera abdominis lædens, ut effectus ex ejus diuturnitate enati facile persvadent. Contra vero terror vehemens universi corporis systema vasorum nervorumqve afficit, hos in spasmos ciendo, ut tremor, lotii fecumqve elisio, aphonia, &c. docent, illorum vero contractionem a peripheria corporis versus intima corporis inducendo, ut e pallore, cute anserina, lassitudine, &c. est

(s) PLINIUS hist. nat. L. 7. C. 50.
(t) Vide §. 66. No. 2.

colligere. Ambo hæc autem vaſorum encephali infarctui efficiundo, a qvo organa viſus lædi poſſunt, admodum ſunt idonea. Sed hæc cum in vulgus nota ſint, ambiguum tamen eſt, poſſitne gravidæ vehemens id genus animi pathema in fœtum qvoqve ita migrare ſuis effectibus, ut ei viſum vel actutum adimat (ſiqvidem connatæ qvoqve amauroſes obſerventur), vel futuræ ſaltem cœcitati efficiat obnoxium? Poſteriori opinioni reſpondere videtur caſus GUERINI (*u*), nempe bajulus, qvem utero mater ferens vitulini capitis oculum intentius contuita eſt, qvoties vaccæ in venerem pruriebant (qvo tempore viſu carere dicuntur) altero oculorum ſemper cœcus fiebat, oculusqve hic dimidio major altero efficiebatur. Alioqvin vero utroqve oculo rite videbat.

§. 35.

7. INGESTA humores rarefacientia & ad capitis vaſa uberius determinantia, ut ſunt

a) *Potus Spirituoſi*, vinum, 🜄, &c. Sic „ Britannus qvidam, narrante H. BOER-

---

(*u*) l. c. p. 247.

„ HAAVIO (*x*), ſimul ac vino inebriatur, „ perfecta etiam amauroſi laborat, & qvi- „ dem ut per gradus morbus eum invadat, „ & malum cum copia vini creſcat, donec, „ qvoties incipit omnino ebrius fieri, omni- „ no etiam perfecte cœcus fiat. Poſt ebrie- „ tatem finitam redit viſus; ceſſat enim tunc „ illa preſſio ad cerebrum „. Simillimum caſum refert v. RIEDLINUS (*y*): „ vixit „ (inqviens) ante plures annos vir qvidam „ nobilis, qvi cum ſtudiis adhuc vacare „ debuiſſet, loco vero librorum pocula ele- „ giſſet, & hæcce non qvotidie ad ebrie- „ tatem uſqve evacuare pro piaculo habuiſ- „ ſet, inde non ſolum more aliorum ebrio- „ rum oculos tam depravatos nactus fuit, „ ut duplicia ipſi, qvæ ſimplicia ſunt, omnia „ paruerint, ſed & poſt continuas per ali- „ qvot dies comeſſationes illorum uſum „ omnino amiſit, ita ut per biduum ple- „ rumqve nil plane diſcernere potuerit, & „ a ſociis ad continuandos errores invita- „ tus, nolens volens, cum ſe duci per „ alium pudori duxerit, domi manere co- „ actus fuerit; at redeunte viſu ac ſi nil un- „ qvam incommodi poſt ſe traxiſſent, ad

(*x*) l. c. §. 105.

(*y*) Lin. med. ann. 3. Junii 1. p. 353. ſq.

„ pocula rediit, & illorum evacuatione „ tam diu iterum se delectavit, donec de- „ nuo visu privatus fuit. Licet autem hic „ hoc beneficio ad mortem usqve gavisus „ fuerit, qvod nempe semper visum post „ aliqvot elapsos dies recuperaverit; non „ desunt tamen exempla illorum, qvi ab „ oculorum tum hoc tum aliis vitiis libera- „ ri nullo modo potuerunt „: qvos inter pertinet S. LEDELII (z) adolescens, qvi Ω frumenti se immoderate replens in bidui stertorem incidit, sui vix compos: crapula inde exhalata ingentem cephalalgiam sensit, superveniente dein cœcitate; qva utraqve ægritudine aliqvot menses cum debilitate ac mentis turbatione detentus, postremo epileptice convulsus interivit. Aliis tamen, licet sponte sua crapula exhalata visus haud rediisset, remediis est revocatus. Ita B. TIMAEUS (a) scribit virum obesum ac plethoricum hyeme rus ad amicos profectum, cum ibidem bene potus in conclavi intense scalefacto somnum cepisset, mane expergefactum capite oculisqve doluisse cum visus imminutione, qvæ paucis post diebus in

---

(z) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 8. obs. 85.

(a) Casuum medic. L. 1 casu 24.

amaurofim imperfectam abiit; nempe litteras etiam grandiores dignofcere amplius neqviit, objecta vero majufcula ac lucida facile difcernens, oculis plane claris apparentibus citra vitium, nifi qvod nigrior pupilla & amplior notaretur. Factæ tamen revulfiones, ac difcutientia data vifum utcunqve reftituerunt. Eo vero etiam promptius in ebriis amaurofis nafcitur, fi frigori fe fe exponunt. F. HILDANI (*b*) fenator adulta hyeme peregre profectus, ibiqve aliqvot dies vino generofiffimo indulgens, cum in reditu impetuofe flante vento frigus dextram partem capitis magis læfiffet, domi dextri oculi amaurofi fe laborare fenfit; a qva tamen revulforiis remediis eft liberatus.

b) *Flatulenta* edulia, cruda, lenta, copiofius affumpta hypochondriacis, debilesve oculos habentibus fugaces amaurofes creare folent. P. FORESTI (*c*) „ juvenis debi-„ les oculos habens per intervalla suffufio-„ nem (amaurofim incipientem) in utro-„ qve oculo experiebatur, tamqvam mu-„ fcas, culices, & alia fpectra videret, & „ eo potiffimum tempore, cum largius po-

(*b*) Obf. & cur. med. chir. Cent. 5. Obf. 20.

(*c*) l. c. L. 11. Obf. 32.

„ taſſet, vel cibaria cruda ſine ordine de-
„ voraſſet; nam concoctione peracta, ructi-
„ bus emiſſis, aut leni ſubſeqvente vomitio-
„ ne, ſimulacra dicta non ſpectabat „.

c) *Diaphoretica* corpori humoribus, præſertim lentis, turgenti ingeſta, a qveis humores facile in vaſa ophthalmica uberius compelli & nervum opticum lædere ſuo infarctu poſſunt. H. ab HEER (*d*) hominem
„ novit, qvi ulceribus Gallicis caput obſi-
„ tum habens, humoresqve non purgato
„ ſatis corpore Gvajaci decoctum cum bibiſ-
„ ſet, 9° die in ... amauroſin ... lapſus ... (re-
„ vellentibus ac diſcutientibus) remediis ...
„ percuratus eſt annis ab hoc duodecim;
„ verum ... cœlo valde calido & ſereno nu-
„ beculas modo uni modo alteri oculorum ob-
„ verſantes cum exigua moleſtia cernit,
„ notat ... illas oculos egredi, pauloqve
„ poſt ad ulnæ circ. ſpatium a facie diſſitas
„ evaneſcere ... Hyeme & cœlo obſcuro
„ vix patitur; ſed ſi æſtate a meridie dor-
„ miat, tum diu & moleſte, niſi in obſcu-
„ ro poſt ſomnum maneat loco, a ſpectris
„ illis afficitur. In cubiculo obſcuriore ac-
„ curate legit & ſcribit „. Sic etiam I.

(*d*) l. c. p. m. 68. ſq.

RHODII (*e*) „ monachus ... pituita refer-
„ tus, habitu ſatis obeſo, ſtupore poſt de-
„ ſtillationem correptus, univerſali vacua-
„ tione prætermiſſa diaphoretica ſumpſit ca-
„ lida. Colliqvato humore pituitoſo in
„ hemiplegiam & viſus obſcuritatem inci-
„ dit „.

d) *Venena*, præſertim ſaturnina colicam Pictonum, cui ſæpe, ut dicetur (*f*), ſe amauroſis jungit, cauſantia, vel narcotica, ut opium, ſolanum, &c. Sic puer STORCHII (*g*) poſtridie ab comeſtis ſolani baccis viſum amiſit, qvem tamen catharticum & TR[a] bezoardica rurſus revocavit. Perinde I. E. GREDINGII (*h*) mendicus puer, qvi trimulus ab ictu validiore oculi ſiniſtri viſum ejus penitus amiſit, hauſto Ω[ii] frumenti fortiſſimo ad ſummam ebrietatem evaſit uſqve adeo epilepticus, ut anno 16° ætatis adhuc qvovis 6° vel 8° die longos ac vehementes morbi inſultus, præſertim noctu, pateretur, cum ſeqvente ali-

(*e*) Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 47.
(*f*) Vide §. 41. b).
(*g*) Commerc. Nor. T. 2. A. 1732. hebd. 42. No. 9. p. 334
(*h*) LUDWIG adverſ. med. pr. Vol. 1. P. 4. art. 3. Obſ. 11. p. 669. ſqq.

qvamdiu insigni stoliditate. Dum vero ad fugandum hunc morbum Bella donna uti cœpisset, ille multo potius inde increvit, simulqve amaurosis 3 hebdomadum cum perfecta fere mydriasi sanum oculum dextrum invasit. Haud secius & alii ab hac planta in amblyopiam seu amaurosim occipientem cum non exigua pupillæ dilatatione plus minus diuturnam incidere sunt visi (*i*), ut RAIUS (*k*) qvoqve notavit de stramonio. Et GÜNZII, teste I. E. GEISLERO (*l*), vir cum „ in febre ardente post omnes noctes „ insomnes actas somniferum sumpsisset, „ atqve ex conciliato hoc modo somno „ expergesieret, inventus est subito oc„ cœcatus fuisse „ (*m*). Porro & alia vegetabilia non narcotica e qvibusdam qvandoqve accidentibus amaurosin causare observantur. Sic „ qvi Amboynam, Bandam ac „ Moluccas versus navigant, inqvit I. BON„ TIUS (*n*), infestantur sæpe debilitate vi-

(*i*) Ibid. Obs. 1. 3. 5. 8. 14. 15. 17. 20. 23.

(*k*) Synops. plant. de stramon.

(*l*) Animadv. de usu vomitorior. §. 8. p. 15.

(*m*) Vid. BERGERI diss. de vi opii raref. §. 4. & TRALLES de usu opii S. 1. C. 2. §. 13. 14.

(*n*) De medic. Indor. meth. med. C. 16.

„ ſus, imo totali cœcitate, ... qvæ tamen „ cœcitas non ſemper permanet, ſed alte- „ rius aeris mutatione, vel melioris diætæ, „ ſæpe recedit. Incolæ harum inſularum „ originem trahere dicunt (qvod & expe- „ rientia, cui contradici vix poteſt, com- „ probatum eſt) ex eſu oryzæ calidæ. Hinc „ Javani ac Malaji oryzam jam primum „ coctam ſemper prius frigidiori aeri expo- „ nent, vel vanno calorem eventilabunt. „ Tum nautæ noſtri ſociis ſuis navalibus im- „ perant ſub pœna aliqva, ne oryzam ca- „ lefactam comedant ... Notandum poſtre- „ mo eſt, qvod qvamvis hæc cœcitas ſæpe „ tranſitoria ſit, tamen neglecta, ac incom- „ moda diæta, maxime importuno uſu „ Aracci, ſæpe in veram viſus orbitatem „ degenerat; qvorum exempla hic paſſim „ obvia ſunt „. Curationem vero hujus mali in catharticis, V^æ S^e, errhinis, ſia- lagogis, collyrioqve ex oleo hepatis la- miæ piſcis, ac præſertim eſu ejusdem he- patis crudi cum ſale, velut ſpecifico cre- bra experientia probato, eſſe refert. Huc etiam ſecale cornutum (aut qvidqvid illud eſt aliud) pertinet, cujus uſus alimentaris a ſpaſmodico illo morbo nonnullis Raphania dicto infamis jam dudum eſt, ſed perinde ex accidente, ut recte notat L. F. B. LEN-

TIN (*o*), qvi feqventem noftram in rem cafum obfervavit (*p*): puella robufta, raphaniam 9 menfes experta, fpafmis ingruentibus amaurofin qvoqve patiebatur plus minus diuturnam, cujus poftrema periodus ita fe habuit: die Octobris 21ª dum validi fpafmi pedes manusqve tenerent, ut non nifi fumma vi adhibita digiti manuum contracti evolvi poffent, etiam amaurofis fimul præfto erat, fedatis faponis & cathartici ufu poftero die fpafmis nihilominus aliqvamdiu fuperftes. Die 23ª a fumpto aliqvoties fapone, & exhibito electuario e rad. Imperat. Carlin. Valer. maj. Sap. Ven. elect. Mithrid. cum fyr. com. fpafmi manuum profligati, & in pedibus, nonnifi dum iis pendulis erecta federet, obfervati: cœcitas vero aliqvot folum fecundis durabat, ac tum vel maxime obrepens, dum ægra unum idemqve objectum diutius intuebatur. Inde ad 30 ufqve diem fpafmorum loco tenfiones lumborum vel mufculorum abdominis vel furarum infeftabant. Cœcitas die 30ª infigniter minuebatur, ac primo Novembris triduo prorfus aberat, fed revertit die 4ª, qvam

(*o*) Beobacht. einiger Krankh. 1 Beob. §. 2. 4.
(*p*) Ibidem §. 6. cafu 4. p. 66. fqq.

tamen ægra vel præpedire venturam vel præſentem abigere ſola manus fronti appreſſione poterat. Cumqve hodie & poſtridie etiam formicatio rediiſſet, die 6ª cum iſta tum amauroſis plane abfuit; ſed tanto plus muſculi ſemimembranoſus ac ſemitendinoſus ſpaſmum ſenſere, qvi die 7° flexores pollicis ac tibiæ corripuit. Die 8° cordis palpitatio, nullatenus tamen pulſui officiens, aderat, qva etiam die 9° evaneſcente ægra ſolo ſaponis & electuarii uſu ex integro convaluit. Ejusmodi autem vegetabilia nervis infeſta eo etiam facilius cœcitatem inducunt, ſi cum potu inebriante propinantur. „ Memini, inqvit s. LEDELIUS (*q*), „ me aliqvando Jenæ comitatum iviſſe com„ menſalem in pagum... ubi nimis large & „ liberaliter bibenti cereviſiam illius loci „ hoc obvenit, ut viſum plane in inſtant „ amiſerim, & non multo poſt etiam rece„ perim. An incoxerint chamæleagnon „ DODONAEI, aut roſmarinum ſilveſtrem, „ ... me latet: hoc tamen novi, in aliqvot „ Marchiæ & Sileſiæ locis roſmarinum hunc„ ce, qvem *Saugrentze* nominant, cerevi„ ſiis immiſceri, huic qvidem fini, ut ruſti-

(*q*) l. c.

„ ci & bibentes eo facilius inebrientur. „ Excitat autem hæc cerevisia summos capitis dolores, & veluti dementat, ob „ vim narcoticam sat impuram & agrestem „. Ejusdem procul dubio furfuris fuerit potus medicatus, cujus meminit BUCHHOLTZ (r): „ aliqvot proles (ait) „ in Nagy Palugya Comit. Liptov. scholam freqventantes vino medicato prophylactice utebantur cum euphoria, sed visu inde orbatæ nec legere nec scribere „ qvibant. Omisso autem potu hujus vini „ rediit visus „. Huc etiam videtur referendus casus N. TULPII (s) „ vir (inqvit „ ille) olim splendidus; sed id temporis „ inops, exceptus hilariore convivio, incaluit usqve adeo a vino, ut instar musti „ dolia sua rumpentis qvoqvoversus exitum „ molirentur humores plus nimio in ipso „ concitati: qværentes exitum modo per „ vomitum modo per dejectionem alvi, modo vero per nares, e qvibus ut effuse „ profluxit sangvis, sic doluit impense caput, cum febre intensa, præcordiis æstu-

(r) Annal. Vratisl. Tent. 36. A. 1726. Maji Cl. 4. art. 24. p. 618.

(s) Obs med. L. 1. C. 31.

anti-

„ antibus, ſpiritu gravi, oculis flammeis, „ & mente tam vehementer perturbata, ut „ vel cœcus vidiſſet, bilem ipſi ſummope- „ re turgere. Cujus impetuoſum qvo in- „ fringeremus raptum, infudimus illico cly- „ ſterem, & exſoluta prius brachii vena „ propinavimus medicamenta cum catharti- „ ca tum intemperiem corrigentia. Qvorum „ ope inhibita qvidem fuit, ſed non tam „ ſtricte, efféra hæc vis; qvin converterit „ ſe nihilominus in nervum opticum, indu- „ cendo illi... ἀμαύρωσιν... Cui pertinaciſſi- „ mo vitio qvantumvis protinus... obviam „ itum cum per ferrum candens, tum per „ ſtybium potui datum, utiqve per cucur- „ bitulas ſcarificatas, ſternutamenta valida, „ filum per cervicem trajectum, & ſangvi- „ ſugas, affixas non minus temporum quam „ oculorum venis; neqviit tamen redinte- „ grari viſus, ſive ob morbum penitius jam „ impreſſum, ſive ob vehementiam alicujus „ veneni, qvod æger adſeverabat medicis „ a ſe adſumptum: cujus licet voluerit ex- „ actam haberi rationem; neqviit tamen eo „ unqvam perduci, ut ejus exprimeret na- „ turam, nedum a qvo datum „.

§. 36.

8. APPLICATA *externa*, haud ſecus ac ingeſta, humores copioſius ad encephalon allicientia vel in minima ejus vaſa introrſum ab externa peripheria compellentia, præſertim plenitudine vaſorum præſente. Hinc

a) *Veſicantia* capiti vel vicinis partibus admota, haud vacuato prius corpore, & ubi alioqvin jam ſtimulus aliqvis in encephali vaſis præſto eſt, humores illuc alliciens, v. g. dolor capitis, ophthalmia, &c. Sic P. HANNEMANNI (*t*) ancilla fluxum qvemdam oculorum abactura ſuo ingenio veſicans pone aures admoveri curans omnimoda cœcitate ſecuta therapiæ ſuæ pœnas luit.

b) *Balnea*. C. F. PAULLINI apud I. DOLAEUM (*u*) „robuſta mulier 33 annor. „temperiei valde phlegmaticæ, & vitæ ſe„dentariæ amans, balneum ſibi pararat in „vanno ex herbis cephalicis. Sedens in „eo capite cooperto ocyus obſcuritatem „viſus ſui animadvertit, mox tantam ejus „imminutionem, ut neminem niſi ex ſola

(*t*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 3 obſ. *66*.

(*u*) Append. ad encycl. med. Commerc. literar. Epiſt. II. p. m. 70.

„ loqvela rite dignoſceret „. Perinde V. RIEDLINI (x) viro „ cum tumor circa ocu„ los aliqvamdiu moleſtus fuiſſet, ut is eo „ citius diſſiparetur, ... Auguſtam profectus „ fuit, ut eo ſudatorio . . . qvod . . . Co„ riarii ... parant, uteretur. At qvia ſine „ dubio illud aut univerſali plane nullo præ„ miſſo, aut ſaltem non ſufficienter eductis „ humoribus peccantibus, intravit, tumor „ qvidem poſt ejus uſum diſcuſſus fuit, at „ ſimul viſus, qvo in itinere adhuc ſat in„ tegro gaviſus fuerat, tantum aboli„ tus, ut jam ſine comite incedere non „ poſſit, pauper nunc ſtipem qværens „. Ita & J. RHODIUS (y) „ corpore non „ probe purgato in laconico qvemdam Pa„ tavii repente occœcatum meminit „. Idem etiam balnea, ſemicupia, natationes, &c. in aqva frigida efficiunt, dum humores a peripheria corporis ad intimos ejusdem receſſus compellunt. Ita D. NOOTNAGEL (z) a corpore frigidæ ſupra medium immerſo

(x) l. c. ann. 4. Jun. 19. p. 504.
(y) Analect. in L. SEPTAL. animadv. & caut. med. L. 7. No. 207. p. 578.
(z) Diſſ. de amauroſi §. 7.

amaurofin vidit, & apud I. STORCHIUM (*a*) fexennis puella hyemali tempore inopinato in aqvam cadens utroqve oculo cœca evafit: catharticorum tamen ufu unius oculi vifum recepit. Hic vero terror etiam aliqvatenus concurrit. Haud fecius C. RAYGERI (*b*) „ vietor, ut ligna pro opificio fuo „ neceffaria, & in loco qvodam Danubio „ vicino iacentia, falvaret ex undis, ultra „ 3 horas qvandoqve ufqve ad axillas in „ aqvis manfit. Domum reverfus penes „ fornacem fortiter calefactam decubuit: „ ftatim laffitudinem fenfit omnium mem„ brorum. Aliqvot diebus elapfis in fin„ gultum incidit 3 dies durantem; inde „ reftitutus, intra anni fpatium vifum in fi„ niftro, mox in dextro amifit oculo, „ utrisqve tamen externe bene conftitu„ tis. Poft triennium articulorum dolori„ bus horrendis corripitur, qvibus fuperve„ nit tremor perpetuus in hunc ufqve diem „ durans. Multa ille adhibuit, qvibus do„ lores ad tempus mitigavit, non fuftu„ lit... Retulit... perfona illuftris, qvod „ ex Candia rediens naufragium paffa, ita „ membris contracta & qvafi paralytica fa„ cta fit, ut difficulter Paduæ in integrum

(*a*) Obf. clin. ann. 4. Maji art. 5. No. 8. p. 259.
(*b*) Mifc. nat. cur. dec. 1. ann. 6. obf. 211.

„ reſtitui potuerit „. SPROEGELII (*c*), qvoqve juvenis a pediluvio frigido viſum amiſit. Cui alter etiam HÜNERWOLFII (*d*), nec non phthiſicus KELLNERI (*e*) haud abs re annumerari poſſunt. Huc perinde F. HILDANI (*f*) obſervatio referri poteſt (niſi ad ſeqventem ſtropham velis rejectam) de nobili qvodam, qvi e conſvetudine multorum annorum qvovis mane faciem & oculos aqva frigidiſſima abluens in viſus debilitatem& obfuſcationem ſenſim incidit, cui tandem utriuſqve oculi inflammatio ſupervenit. Iſthac curata, omiſſisqve abhinc lotionibus frigidis, & uſurpata aliqvamdiu aqva viſum roborante, acutiorem qvam prius viſum nactus eſt.

c) *Acria* oculis applicata, qvæ, ut veri eſt ſimile, nervi frontalis propagines afficiundo viſum lædunt. Sic R. LENTILII (*g*) puer ad 14 annos natus inſperſa oculis ab alio puero calce viva cœcitate immedicabili affectus eſt. Idem BURNETI (*h*) virgini

(*c*) Vide §. 96.
(*d*) Vide §. 37. e).
(*e*) Vide §. 100.
(*f*) l. c. Cent. 1. Obſ. 27.
(*g*) Miſc. med. pract. P. 2. p. 311.
(*h*) Vide §. 9. No. 2. c.)

ab æſtuoſo fornacis vapore accidit. Idem qvoqve acria cloacarum & ſepulchrorum, aut id genus mephiticorum locorum, effluvia diu oculis excepta efficiunt. Duo operarii, narrante CHOMEL (*i*), vetuſtum ſpecum ſub alio ſitum diuqve non purgatum fodientes ab erumpente mephiti viſum amiſere, unus prorſus, alter vero ita, ut vix diem ſentiret: ambo tamen intra 24 horas ope ▽ᵉ Ωſᵉ extus applicitè, & qvavis 4ª horа ad cochl. ij. iij. aſſumptæ, viſum priſtinum recuperarunt. Neſcio itaqve, cur NOOTNAGELIO (*k*) dubium obortum ſit, an amauroſis foricariorum SAUVAGESII (*l*) veritati accommodata ſit? „ Non plane patet, (inqvit) ex deſcriptione, qvam Ill. „ RAMAZZINI (*m*) de hoc morbo exhibet„. Qvod etſi verum omnino ſit, cum neqve oculi clari neqve pupillæ diffuſæ ac immobilis meminerit; ſed qvamdam duntaxat oculorum rubedinem ab ſe referat obſervatam cum dolore: tamen ſi CHOMELII paulo ante dictam, ac mox dicendam BARTHO-

---

(*i*) Act. Pariſ. A. 1711. Obſ. anat. 5.

(*k*) l. c. §. 12.

(*l*) l. c. No. 9.

(*m*) De morbis artific. Cap. 13.

LINI obſervationem cum foricariorum malo conferamus, liqvido apparebit, horum cœcitatem haud aliorſum qvam ad amauroſin eſſe referendam, idqve ab infarctu vaſorum ophthalmicorum, in qvæ ſangvinem acres cloacarum vapores uberius allexere, ut rubor docet. Eodem modo res in vetuſtis ſe habet ſepulchris. T. BARTHOLINI (*n*) „ parens ... colonos ſuos vicinum monu„ mentum juſſit effodere. Recuſabant illi „ imperium oculis ſuis metuentes. Ille ve„ ro, ut hujusmodi ſuperſtitionem eluderet, „ primus ligone opus aggreſſus eſt, ſicqve „ reliqvos ad perficiendum animavit. Nul„ la parenti cœcitas oborta inde eſt, ſed „ tamen neſcio qvæ caligo oculis obverſaba„ tur, brevi deinde diſſipata, ſive calore „ motu excitato, ſive ex vaporibus longo „ ſeculorum decurſu in tumulo deliteſcenti„ bus„. Haud ſecius venenorum qvorumdam exhalationes oculos ferientes amauroſin iis conſciſcunt, eorum ſcilicet, qvæ intus aſſumpta eandem progignunt, ut ſunt ſaturnina, bella donna, &c. W. WHITE (*o*)

(*n*) Hiſtor. anat. rar. Cent. 4. hiſt. 32.

(*o*) Edinburgh. medic. Commentar. 3 B. 1 St. 2 Abſchn. 1 Beob. p. 75.

meminit juvenis robusti, qvi in plumbi fodinis non liqvando ac depurando, sed eruendo mineras stipendia merebat. Hic citra ulla prævia colicæ vel paralyseos symptomata vespere qvodam pleno cum visu lectum petens postero mane cœcus prorsus surrexit cum tam perfecta retinæ insensilitate, qvalem Auctor nunqvam ante vidit. Porro P. I. A. DARIES (*p*) Belladonnæ recentis herbam cum floribus fructibusqve pro paranda inde TR.[a] minutim conscindenti guttula herbæ aut baccæ fortuito dextrum in oculum insiliens levem primum irritationem vix 3 minuta durantem, tum hac cessante visus imminutionem usqve adeo celeriter increscentem caussavit, ut post $\frac{1}{4}$ horæ in plenam ejus oculi cœcitatem, citra ullum tamen dolorem, abiverit, oculo sinistro illæso. Iris oculi cœci tantopere erat resoluta ac patula, ut fere $\frac{1}{4}$ lineæ tantum latitudo ambitus superesset, amplus vero choroidis nigror transpareret. Usurpato tamen aceto rutaceo ac bezoardico, extrinsecus vero post frustraneam oculi aqva frigida elutionem vapori-

(*p*) Diss. de atropa Belladona (4° Lips. 1776.) §. 12. BALDING. syllog. opusc. Vol. 2. No. 4.

bus ℞ volatilis oleosi in eundem admissis, post 3 hebdomades & visus & pupillæ contractio sensim rediit. Atqve huc etiam referendi erunt casus BOYLEI ac BOSMANI, si hujus non terror, illius vero non ulla erat illusio optica, in culpa (*q*).

§. 37.

9. SUPPRESSIO *evacuandorum* seu sanorum seu morbosorum; istis enim & massa humorum augetur, & non raro, si acriora sunt, nervi tentantur; si itaqve laxiora sunt vasa ophthalmica, vel stimulus ad illa applicatur, facile in illa ruentes humores eadem infarciendo nervos opticos comprimont, & visum adiment. Eapropter huc facit suppressio

a) *Perspirationis, sudoris*ve, a qva teste ESCHENBACHIO (*r*) visum alterius oculi Cl. BURCHARD, & ISENFLAMMII (*s*) matrona dextri, utriusqve vero & HEYI (*t*) pannifex, & FOURNIERI (*u*) femina,

(*q*) Vide §. 16, b).
(*r*) Vide §. 73.
(*s*) Vide §. 60. No. 4. e).
(*t*) Vide §. 106.
(*u*) Vide §. 112, a).

amiſere. A. G. RICHTERUS (*x*) „nobi„lem novit feminam, qvæ ſaltatione ve„hementer incaleſcens, media nocte nu„doqve pectore in hortum deſcendens, „ibiqve obambulans, ſubito viſum perdidit, „neqve iterum, qvidquid etiam medica„mentorum tentaret, recuperavit„. Perinde L. HEISTERI (*y*) nobilis, poſtqvam triennio abhinc æſtuante corpore ſe perflanti vento diutius expoſuiſſet, ita viſu laborare cœpit, ut literas deorſum tenendo fere nullatenus potuerit legere, ſed omnia ſurſum levare cogeretur: unde ſuperiores palpebræ adeo debiles evaſere, ut non ſine difficultate easdem attollere, oculumqve aperire valuerit. Nihilo tamen minus cum palpebra læva plus eſſet affecta, acies oculi præ dextro, cujus palpebra erat valentior, fuit melior. Varia uſurpavit vario, nec diuturno, effectu. Tranqvillo ſerenoqve cœlo oculis valebat melius, deterius vero tempeſtate contraria & frigida, interdumqve omnia ei objecta duplicata apparebant. ita etiam I. D. GOHLII (*z*) „ſervus ru-

(*x*) l. c. p. 74.
(*y*) l. c. 2 Band No. 376.
(*z*) l. c. Dec. 2. Vol. 6. art. 1. No. 4. (δ) p. 22.

„ ſticus admodum juvenis, ante annum ſe-
„ reus campum, paululum feſſus & calens
„ ſe pronum conjecit in terram. Inde ſur-
„ gens intritum eſt paratum, qvo avide poſt
„ æſtum hauſto oculos obſuſcatos freqventer
„ extergit, ſed incaſſum, permanſit ita,
„ undiqve medelam conqvirens inanem „.
BRIGGS (*a*) narrat caſum hominis ad 20 annos nati, plethoriciqve, qvi vertente anno in vertiginem incidit cum doloribus in ſuperiore capitis parte. Hæc mala non alii cauſæ, qvam intenſiſſimo id temporis frigori, imputabat. Cumqve neglectis vacuationibus ſolo emplaſtro qvodam capiti admoto uteretur, dolor capitis & diuturnior & acutior factus, acceſſere ſpaſtica ſymptomata, cum tremore artuum inferiorum, ſimulqve omnia qvæqve ei duplicata apparebant. Trimeſtri ita exacto in noſocomium receptus, ubi fruſtra per bimeſtre datis variis antiſpaſmodicis, ſectis venis jugularibus, ano hirudinibus adhibitis, raſo capite, veſicantibus collo admotis, ac demum ſetaceo trajecto, nihilominus poſt 2 menſes dextro o-

---

(*a*) N. G. LESKE auſerl. Abhandl. pract. u. chir. Innhalts aus den Phil. Transact. 1. B. No. 24. p. 43.

culo amauroticus evasit: qvo facto visus duplicatus desiit. Procedente vero curatione ad lævum oculum conservandum, vehementi insultu (epileptico) prehensus est, & brevi post eundem exspiravit. A morte in superioribus capitis locis, collo humerisqve magna nigredo conspiciebatur. Interdum vero ita vel minima aeris liberi aura perspirationem lædens hic sentitur, ut continuo visum reddat deteriorem; cujusmodi casum narrat G. BUDAEUS (*b*) de ægro, cui inde ab anno debilitas visus velut per paroxysmos repente adveniebat, ac post aliqvot horas denuo recedebat, ut legere iterum posset. Ac licet 1. 2ve dies continuos interdum visus domi non obscuraretur, ut primum domo prodivit, morbus mox revertebatur, ut neminem æger discernere posset. Caput erat grave, stupidum, vehemensqve sæpe vertigo simul aderat. Nihil in oculis conspiciebatur vitii, nisi qvod palpebræ subinde leviter rubuerint, & in paroxysmo velut mucago qvædam oculis inducta videbatur, qvæ finita invasione etiam evanescebat. Simillimum huic, nisi unus idemqve sit, ca-

---

(*b*) Miscell. med. chir. pr. & forens. 5 Th. cas. 4. p. 22.

ſum etiam I. I. WEPFERUS (c) ſuppeditat, qvi qvia nonnulla notatu digna complectitur, prætereundus haud videtur, nempe: Præco ſacer 60 annor. temperans, multa ab hæmorrhoidibus paſſus, obſervavit jam A. 1685 denſam nebulam oculis obverſari, ita tamen, ut legere & alia objecta diſtincte videre poſſet: tunc qvoqve ſimul caput obtuſum & vertiginoſum erat. Hoc viſus vitium indies crevit. Circa principium A. 1687 viſus qvandoqve ita obſcurabatur, ut nec legere nec alia diſtincte videre, perſpicillis etiam adhibitis, per aliqvot horas poſſet: inde rurſum viſus rediit, ita ut uno die viſus & ejus obſcuratio aliqvoties alternarent. Multis incaſſum uſus finiente æſtate continuas tenebras jam patiebatur. Mirandum erat, domi commoranti viſum mediocriter adfuiſſe; ut primum vero liberum in aerem proceſſit, oculos aqva impleri viſuqve orbari conſveſſe. In oculis nil obſervabatur, niſi qvod cœcitate ingruente muco obducerentur, brevi tamen evaneſcente: dolebant illi, & qvaſi tendi videbantur; qvando palpebræ premebantur, ſtridorem dabant inſtar axium januæ vinculorum non bene

(c) Obſ. med. pract. de affect. capit. Obſ. 182.

unctorum sed siccatorum. Multum olim ex hypochondriaco malo passus est; in præsenti vero nil qvidqvam, sed per omnia sanus visus. Eo vero etiam magis periclitatur visus, ubi post acre frigus toleratum color subito corpori admissus celeriter sangvinem rarefacit. Sic „ testis est S. ALBERTUS, inqvit G. W. WEDELIUS (*d*), studiosum „ Saxonicum stantem in ponte Albis hyberno frigore spirante Borea, cum postea „ statim in hypocaustum calidissimum se recepisset, spatio 3 horarum plane fuisse „ excœcatum „.

b) *Salivæ*, ut in tabacci fumigatoribus, si repente fistulæ suæ valedicant, ut militi cuidam teste I. FRANCO (*e*) accidit, vel si dato ad movendum ptyalismum ☿ io æger sub illo caput aeri frigido objiciat; cujusmodi binos casus literis mandavit H. HEINRICI (*f*).

c) *Muci narium*. Magnam sinuum frontalium obstructionem & insolitam narium siccitatem interdum occasionem amau-

(*d*) Diss. de amaurosi (4° Jenæ 1705) Cap. 3. p. 15.

(*e*) Vide §. 100.

(*f*) Vide §. 73. sub finem.

rosi generandæ præbere posse testatur I. L. SCHMUCKER (*g*), cui bini id genus ægri obtigere curandi (*h*). Et RICHTERUS (*i*) „ an non morbus (inqvit) in sinu frontali „ latens deorsum etiam aliqvando tendit, & „ oculis noxam infert ? Inter ægros amau„ rosi laborantes, qvos ego vidi, non pau„ ci fuerunt, qvi de molestissimo sensu & „ obtuso dolore regionem sinuum frontalium „ infestante qverebantur. Feminam novi, „ cui utriusqve oculi amaurosi perfecta la„ boranti rediit subinde, orto uberiori mu„ ci ex naribus profluvio, tantillum viden„ di facultatis, periit iterum naribus sicce„ scentibus „. Neqve id sane mirum; qvandoqvidem suppressa isthac vacuatione infarctus vasorum non modo narium cavo dicatorum, sed etiam nervis opticis proximorum, consecutus compressionem opticorum nervorum ex facili efficit.

d) *Lactis*, cujus a metastasi amaurosis STÖRCKII (*k*) puerperæ accidisse videtur.

e) *Sangvinis* seu arte, seu sponte evacuari soliti. Sic a neglecta scarificatione

(*g*) l. c. p. 8.
(*h*) Vide §. 101.
(*i*) l c Cap. 4. p. 54.
(*k*) Vide §. 84.

consveta post iram studiosus HOFFMANNI (*l*) in hunc morbum incidit; qvem inconsulto suppressæ narium hæmorrhagiæ etiam accersunt. I. A. HÜNERWOLFFII (*m*) juvenis operarius diu admodumqve scorbuticus ob hæmoptoen sudationibus crebris exasperatam in enormem hæmorrhagiam narium, rivuli instar fluente sangvine, lapsus vix coercitam, cum revertente eadem caput aqvæ frigidissimæ immergens, ac dein linteo aceto acri madido involvens, fluxum denuo stitisset, stigmatis sangvinis intempestivis sudoribus antea in cutem protrusis nunc etiam evanidis, dolores capitis oculorumque haud exiguos sibi causavit cum insigni visus imminutione, & plenaria brevi post amissione: qvod idem KELLNERI (*n*) qvoqve phthisico ex eadem causa evenit; qvemadmodum etiam observante M. ALBERTI (*o*) „ theologus Hannoveranus ex „ hæmorrhagia narium cum adstringente sup-

(*l*) Vide histor. 2.

(*m*) Misc. nat. cur. dec. 3 ann. 2. obs. 97.

(*n*) Vide §. 160.

(*o*) Diss. de adstringentium perverso in hæmorrhagiis usu & effectu. §. 3. p. 13. 4° Halæ 1729. Resp. I. DENICLER.

pressa

„ pressa in subitaneam & incurabilem cœci-„ tatem incidit „. Ab imminutis qvoqve aut sppressis lochiis amauroseos ortæ exempla præbent MAURICEAU (*p*), SALMUTHUS (*q*), ac STÖRCKIUS (*r*), qveis ALBRECHTI (*s*) qvoqve casus adnumerandus videtur, siqvidem nullam lochiorum fluentium injiciat mentionem. Multo autem numerosiores suppetunt casus amauroseos ab imminutis, suppressisve, aut alia ratione anomalis mensibus profectæ, qvales dedere BERTRAND (*t*), COLLIN (*u*), HEISTER (*x*), KALTSCHMIED (*y*), PECHLIN (*z*), RIEDLIN (*a*), SCHAARSCHMIDT (*b*), SCHULTZ (*c*), SCULTETUS (*d*),

(*p*) Vide §. 94. e).
(*q*) Vide §. 104.
(*r*) Vide §. 84.
(*s*) Vide §. 111.
(*t*) Vide §. 90.
(*u*) Vide §. 79. K.
(*x*) Vide §. 70.
(*y*) Ibidem.
(*z*) Vide §. 60. No. 4. f).
(*a*) Vide §. 90.
(*b*) Vide §. 115.
(*c*) Vide §. 40.
(*d*) Vide §. 115.

STÖRCK (*e*), WEBER (*f*), &c. Sic etiam apud M. E. BLOCH (*g*) mulier 40 annis major subsistente ad vehementem terrorem, cui ira metusqve successerant, fluxu catameniorum incidit in cephalalgiam ac tantam oculorum defluxionem, ut nullam lucem pati posset. Neglecto 4 hebdomadis morbo opem demum petiit. In oculis multus adhuc rubor aderat, cum humore vitreo admodum turbido; & ægra colores clarissimos vix inter se discernere valebat. Ophthalmia discussa; mensesqve revocati: at visus prorsus periit. Porro (*h*) ancillæ fluentibus catameniis frigidum flumen ingressæ ista mox substitere: unde cephalalgia cœcitasqve orta citra ullum in oculis conspicuum vitium. Sed Væ Sbus, emollientibus pediluviis ac semicupiis, usuqve MP. RUFI cum terra fol. ♀, menses revocati visum qvoqve restituere. Perinde (*i*) puellæ 18. annor. hyemali tempore post immoderatas choreas noctu capite aperto domum revectæ a frigore men-

(*e*) Vide §. 84.
(*f*) Vide §. 70.
(*g*) Medic. Bemerk. No. 16. p. 116.
(*h*) Ibidem p. 117.
(*i*) Ibidem.

ſes, ſemper ubertim fluere ſoliti, ſubito ſubſtitere. Secuta febris catarrhalis, cephalalgia, & amblyopia. Catarrho variis remediis depulſo ſucceſſit vertigo, vehemens capitis dolor, & cœcitas, cum alvo conſtipata. Enematis & catharticis cephalalgia leniebatur, viſu indies decreſcente. Pediluvia & V^æ S° menſes ſuo tempore aliqvatenus revocarunt, nulla viſus crebriorisqve cephalalgiæ emendatione, qvam nec veſicantia, nec pediluvia, nec hirudines, nec optima qvæqve ſolventia, ſub ſevera diæta, attulere. Secuta amauroſis, cui paucis poſt hebdomadis letalis apoplexia ſupervenit. I. STORCH (*k*) feminam novit a ſuppreſſis menſibus prorſus cœcam factam, atqve 30 ætatis anno ita mortuam.

f). *Puris* ex ulceribus criticis vel antiqvis. P. POTERIUS (*l*) narrat anui 84 annor. in vertice capitis tumorem palmam latum obortum cum inſigni inflammatione ac plumbeo colore in nigrum tandem mutato, in acre deniqve ulcus cum carie cranii abiiſſe, qvo conſanato ægra viſum amiſit. Perinde B. TIMAEI (*m*) vir multos annos ul-

(*k*) l. c. ann. 2. Aug. Cl. 2. No 8. p. 353.
(*l*) Inſign. curat. & ſing. obſ. Cent. 2. Cap. 33.
(*m*) l. c. caſu 28.

ceris in pede lævo dolentis pruriențisqve tolerati pertæsus, cum illud coire opera vetulæ sivisset, uno alterove post mense in atrocissimos capitis dolores, indeqve in cœcitatem ad omnia cognita remedia contumacem incidit; simulqve qvovis mane a somno multum viscidæ ac flavescentis fœtidæqve materiæ freqventi exspuitione citra tussim rejecit, eundem in ore fœtorem percipiens, qvi olim in ulcere pedis erat. Simile qvoqve fatum FORESTI (*n*) feminæ, & NEBELII (*o*) qvinqvagenarius experti sunt.

§. 38.

10. RETROPULSA materia morbosa ab externis partibus introrsum. Hinc

a) *Exanthemata chronica* retropulsa, ut achores, tinea, herpes, psora, &c. D. SENNERTUS (*p*) „ meminit studiosum ex „ scabie in febrem incidere, cui asthma & „ cœcitas accidebat, ita ut nullo vitio in „ oculo apparente per triduum nihil vide- „ ret. Is medicamentis idoneis adhibitis,

(*n*) Vide §. 103. A. No. 1.
(*o*) Vide §. 74.
(*p*) Pract. med. L. 1. P. 3. S. 2. C. 44. p. m. 866.

„ & urina nigra reddita convaluit. Puer „ vero ex eadem caufa, fcabie fcilicet, in „ febrem & cœcitatem incidit, qvi epile- „ pfia accedente mortuus eft „. Sic & c. G. LUDWIG (*q*) „ cognovit... virum, qvi „ a fcabie retropreffa cataractam fibi con- „ traxit, itemqve alium, qvi ex hac fola cau- „ fa amaurofi ufqve ad fummum fenium la- „ boravit: uterqve robufto & torofo cor- „ pore præditus optima de reliqvo fanitate „ fruebatur, nec ex vitæ genere, nec aliis „ ex caufis ad horum morborum genefin „ difponebatur „. Perinde TRECOURTII (*r*) puella 18 annor. poft depulfam præpoftere fcabiem vifu orbata in hydropem demum letalem incidit. Meminit OEHME (*s*) fartoris GÜNZIO vifi, cui e fcabie repreffa vifus ita hebes evafit, ut lentis qvidem cryftallinæ nulla mutatio fieret, pupilla vero inciperet immobilis fieri. Haud fecius puella 13 annor. apud F. HOFFMANNUM (*t*) poft ficcatam litu fcabiem in tan-

(*q*) Adverfar. med. pract. Vol. 2. P. 1. adverf. 5. p. 157.

(*r*) Chir Abhandl. u. Wahrnehm. p. 173.

(*s*) Diff. cit. §. 7. p. 14.

(*t*) Conf. & refp. med. Cent. 1. cafu 50.

tam viſus incidit imminutionem, cum idolis ſimul ob oculos errantibus, ut nec legere nec minora objecta diſcernere, niſi aut coarctatis oculis aut impoſito naribus perſpicillo, poſſet. Pupilla paulo erat diffuſior, & in aqveo humore punctula obſcuriora, opacioresqve floſculi ad iridis latera conſpiciebantur. Similem qvoqve eventum habuit male retroacta ſcabies in M. DONATI (*u*) muliere, & achores præpoſtere ſanati. Sic LUDOVICI apud G. W. WEDELIUM (*x*) „ notavit, cum nobili puero 12 annor. caput achoribus repletum ſanaſſent parentes neſcio qvo litu, febrim continuam obortam cum convulſionibus epilepticis; ſimul etiam viſus per 14 dies, oculo in ſpeciem illæſo, ceſſavit, ſenſim autem & qvaſi ſponte rediit, & epilepſia per adhibita ſpecifica cinnabarina & expellentia ceſſavit „. Idem accidit in GOHLII (*y*) puella, pueroqve MÜLLERI (*z*), nec non juvene G. HANNAEI (*a*) „ qvi inde uſqve

(*u*) Vide §. 57. No. 1.

(*x*) Diſſ. de amauroſi Cap. 3, p. 17.

(*y*) Vide §. 98. No 1.

(*z*) Vide §. 111.

(*a*) Miſc. nat. cur. dec, 2. ann. 8. ſchol. ad obſ. 116.

„ ab ipſa nativitate habuerat in capite lo-
„ cum udum & cœno ſcabioſo lubricum.
„ Qvamdiu hæc cauſa naturæ committeba-
„ tur arbitrio, tamdiu cetera ſanus vixit:
„ qvamprimum vero jam pruritum, jam ex-
„ citatum e ſcalpturientibus ungvibus dolo-
„ rem pertæſus hunc rivulum ſatageret ob-
„ ſtruere, dura paſſus eſt valetudinis flagra.
„ Interim ſatiari hic non potuit, aut qvie-
„ ſcere prius, qvam defrictam ſcabritiem
„ conſolidaſſet anus, caput oleo laurino,
„ cui ☿^um^ immiſcuerat, inungens ſedulo.
„ At vix 3 ſeptimanis gaviſus fuerat hujus
„ curationis apricitate, anteqvam noctis
„ perpetuæ caliginem oculis ipſius offunde-
„ ret cœcitas „. Pariter GÜNZII apud
„ GEISLERUM (*b*) puero oculorum acies
„ a repreſſa tinea periit. A tinea etiam re-
„ percuſſa guttam ſerenam ſubortam aliqvo-
„ ties vidit „ H. HEINRICI (*c*). Perin-
de A. Q. RIVINUS teſte E. KÜCHLERO (*d*)
„ a qvodam medicinæ Doctore ... ſibi re-

(*b*) l. c. p. 18.

(*c*) Tela ex pharethra APOLLIN. a ☿^io^ in ſui ſecurit. ſubducta §. 5. p. 11.

(*d*) Diſſ. de cura palliativa (Præſ. H. C. ALBERTI 4° Erford. 1692) §. 34. p. 19.

„ latum memorabat, puellam Batavam, cui „ tinea ab inunctione, ni fallor ☿li retrocesserat, visu captam, nec prius restitutam fuisse, qvam expulsa denuo esset „ tinea „. Ita etiam D. W. TRILLERI (e) matrona faciem a maculis rubris crebrisqve tumoribus mundatura aqva cosmetica albida qvotidie adhibita nitorem qvidem optatum procuravit; sed visu inter atroces capitis dolores subito amisso, convulsa deniqve interiit. L. G. KLEIN (f) „ novit ex varis „ faciei repulsis tremorem artuum, dein „ amaurosin secutam, tandem purpuram albam funestam in juvenca nullius regiminis „ & diætæ; cerussata enim cadente moro „ nigrior sibi placebat LYCORIS „. Haud secius matrona TRECOURTII (g) ab herpete, leucorrhœa, mensibusqve repressis visu privata est.

b) *Exanthemata febrilia* (ut variolæ, miliaria, morbilli, petechiæ, &c.) retroversa, vel materia eorum post superatum morbum regiminis diætetici vitio, aut aliam qvamvis ob causam, haud satis e corpore

---

(e) Opusc. med. Vol. 1. P. 1. Diss. 5. §. 10. p. 142.

(f) Interpr. clinic. p. 259.

(g) Vide §. 113.

difflata. Sic bimulo puero apud N. BLEGNY (*h*) poſt variolas neglectas cœcitas contigit. E. HAGENDORNIUS (*i*) curandam habuit puellam qvinqvennem, qvæ variolas cum convulſionibus paſſa viſum inde auditumqve amiſit cum loqvela vacillante effecta. Adhibitis remediis & viſus & loqvela rediit; ſed ſupervenit letalis catarrhus ſuffocativus, Puerum qvoqve e variolis perperam tractatis viſu orbatum vidit. HEISTERI (*k*) pariter juvenis 19 annor. cui a variolis dexter oculus crepuit, ſiniſter autem cataracta mulctatus eſt, imperfectam ſimul in iſto amauroſin habuiſſe videtur; ſiqvidem lente acu depreſſa nil niſi lucem umbrasqve perceperit, qvin diſcernere qvidqvam poſſet. Ita etiam binis aliis I. MURALTI (*l*) & QVELMALZII (*m*) juvenibus amauroſin effecere, iſti perfectam, illi vero non niſi inchoatam. I. L. SCHMUCKER (*n*) puellam ab amauroſi biennali libe-

(*h*) l. c. ann. 4. Febr. Obſ. 24. p. 53.
(*i*) Hiſtor. med. phyſ. Cent 2. hiſt 71.
(*k*) l. c. 2 Band No. 415.
(*l*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 7. Obſ. 99.
(*m*) Vide §. 106.
(*n*) Vide §. 66. No. 2.

ravit, quam frigore retropulsi morbilli caussarunt. Perinde apud F. HOFFMANNUM (*o*) puella septennis debilis, tenera, cum facie livida, cachectica, subinde flavescente, febricula cum capitis dorsiqve dolore, & vertigine in situ erecto, correpta, 3° die pustulas rubras toto corpore exclusit, qvæ sub debito remediorum usu ac regimine nihilominus jam cum horripilatione evanescebant, jam cum ardore cutis redibant. Capite oculisqve, præsertim circa 7 diem, doluit. Tandem convalescens visum penitus amisit, nullo in oculis, præter pupillam paulo ampliorem, conspicuo vitio. Porro „ conqverebatur, narrat idem Au„ ctor (*p*), generosa puella 12 annor. de „ lassitudine, inappetentia, langvore vi„ rium, & doloribus lancinantibus in cru„ ribus & brachiis, præterea lividum & „ plumbeum facie offerebat aspectum. Octi„ duo post corripiebatur horripilatione, sub„ seqvente æstu & gravi dolore capitis lum„ borumqve. Tertio die post in conspe„ ctum veniebant maculæ morbillorum tum „ epidemiorum, tussis simul affligebat mo-

(*o*) Med. rat. syst. l. c. Obs. 2.
(*p*) Ibidem P. 1. S. 1. C. 8. Obs. 1.

„ leſtiſſima, & propter capitis oculorumqve
„ dolorem continuum nec ſomnum capere,
„ nec lucis ferre poterat aſpectum. Qvinto
„ die ſenſim iterum evaneſcebant maculæ ex
„ totius fere corporis ambitu, ſed dolor ca-
„ pitis & oculorum remanebat, & præter-
„ ea alvus a primo morbi inſultu erat ſic-
„ cior, ut non niſi clyſtere ſollicitata reſpon-
„ deret. Qvum ſic jam declinare videretur
„ morbus, præter ſpem de novo accidebat
„ ſumma præcordiorum anxietas cum æſtu
„ totius corporis, ſiti, virium proſtratione,
„ & difficili reſpiratione; prodibat poſtea
„ purpura rubra, intermixta alba ſive milia-
„ ri, & dolor in oculis & capite ſupra fron-
„ tem pertinaciter inſiſtebat. Pugnabatur
„ qvidem contra hæc tam gravia mala iis,
„ qvæ acredinem humorum cum ſpaſmis mul-
„ cere, & eruptionem placide promovere
„ poterant: ſenſim qvoqve remittente capi-
„ tis dolore puella convaleſcebat; ſed ſupe-
„ rato morbo viſio erat imminuta, & ſen-
„ ſim incrementum ſumens intra menſem in
„ veram guttam ſerenam tranſiit, ita ut ni-
„ hil plane viſu dignoſcere poſſet, licet
„ oculi integri, & pupilla tantum duplo na-
„ turali amplior, comparerent. Multa &
„ probata adverſus hoc oculorum vitium ad-
„ hibebantur remedia, ſed fruſtra. Erum-

„ pentibus autem 14° anno primum menſi-
„ bus ſplendorem aliqvalem receperunt ocu-
„ li rurſus... Svaſi, ut temperatis balſa-
„ micis menſium negotium ſecundaretur,
„ veſicatorium mitius aliqvamdiu geſtaretur,
„ oculi crebrius qvotidie pingvedine vipe-
„ rina recenti inungerentur, & cum cibo
„ nonnunqvam aliqvot guttæ balſami noſtri
„ vitæ aſſumerentur. Qvibus non qvidem
„ in totum, ſed tamen in tantum reſtitutus
„ viſus, ut ſub certo oculi ſitu objecta, &
„ qvidem tantum dimidiata facie, conſpice-
„ re poſſet, ceterum optime valeret, ingreſ-
„ ſa haud ita pridem matrimonium „. Sic etiam G. H. VELSCHIO (*q*) teſte morbo miliari „ correpta ... juvencula nobilis, re-
„ pente cœca facta, paucis diebus poſtea
„ exſpiravit „. Idem qvoqve, at meliore eventu, a purpura experta eſt mulier J. F. CONSBRUCHII (*r*).

c) *Plica Polonica* improvide ablata vel mutilata, id qvod multis nil niſi commentum eſſe videtur: nos autem obſervatis fidem addicimus. Jam olim L. STARNIGE-

(*q*) Obſ. med. epiſagm. 19. in ſyllog. cur. & obſ. med.

(*r*) Vide §. 69.

LIUS (*s*), dum Patavinos medicos de hoc morbo consuleret „expertum est (scripsit), qui „ tales fasciculos implicatorum perarcte inter „ se crinium deraserint, eos oculis capi „ &c. Et C. H. ERNDTELIUS (*t*) cum suo in itinere Grodnam appulisset, ingentem hominum a plica abcissa ex cœcatorum vim se ibi conspexisse testatur. Perinde S. SCHULTZ (*u*) affirmat, notos sibi quosdam fuisse, qui cirris his abscissis visu aliquamdiu privati fuerint. I. I. NEUHOLDI (*x*) „ judæo e pli-„ ca Polonica laboranti incautus rudisque „ barbæ tonsor eandem præscindens amauro-„ sin, delirium, apoplexiam, mortem indu-„ xit „. D. SENNERTUS (*y*) „ novit „ militem senem, qui plicam in occipitio „ habebat, & de causa morbi interrogatus „ (nam Germanus erat de Thuringia ortus) „ respondebat, morbum hunc sibi hæredita-„ rium esse; matrem enim suam 7 plicas „ 2 ulnar. longitudine ad mortem usque ha-„ buisse. Idem referebat, cum in Ungaria

(*s*) SENNERT. l. c. L. 5. P. 3. S. 2. C. 9.

(*t*) Misc. nat. cur. Cent. 10. append. p. 475.

(*u*) Ibid. dec. 1. ann. 6. obs. 138. p. 195.

(*x*) Act. nat. cur. Vol. 3. app. p. 158.

(*y*) l. c.

„ militasset, & a Turcis captus fuisset, he-
„ rum pro more gentis omnes pilos & una
„ plicam abscindi curasse, indeque se cœ-
„ cum evasisse. Cum vero per interpre-
„ tem hero cœcitatis causam exposuisset, &
„ impetrasset ab eo, ut pilos renasci sine-
„ ret, visum postea recuperasse „. Idem mali genus BALDINGERI (z) ægra ab rescissa plica capitis est adepta. Id ipsum nempe ablata improvide plica efficit, qvod miasma ejusdem non dum in crines effusum, sed humoribus mistum ac turbas jam ciens efficere consvevit, varios nimirum morbos, qvos inter & amaurosis locum habet. Sic D. FISCHERI (a) vir nobilis præter cephalalgiam, artuum dolores, omnesqve articulos tumidos, nonnullorumqve membrorum situm adeo mutatum, ut ad suas functiones peragendas essent inutilia, etiam visu omni privatus est. Verum ubi adhibita curatione consveta plica erupit, omnia mala desiere. Ita & S. SCHULTZII (b) Canonicus atrocissima cardialgia & aliqvot hebdomadum ca

(z) Vide §. 79. sub finem.
(a) BÜCHNER miscell. phys. med. A. 1728. Octobr. Cl. 2. art. 2. p. 1368.
(b) p. 198. sq.

ligine laborans ab utroqve malo eſt liberatus, ut primum plicæ erupere, mares a dextra lævaqve capitis, femina in occipite. Perinde ſeptuagenarius F. I. NEIFELDII (c) olim laboribus militiæ, diætæ pravæ, vini crematiqve abuſui, ac iræ deditus, ſanus tamen, poſtea qvietius vivens articulorum contraxit dolores, V^æ S^ii tamen ſalubriqve motui cedentes, donec demum ſubito poſt prægreſſos tenſivos verticis palpebrarumqve dolores in prandio viſum penitus amiſit: qvi etſi ad interna reſolventia, cephalica, rheum, pediluvia, illitumqve vertici ac palpebris balſamum vitæ HOFFM. ſenſim iterum rediit, doloribus articulorum nihilominus recurſantibus cœcitas poſt aliquot menſes una cum verticis palpebrarumqve dolore denuo revertit, prioribus remediis jam neutiqvam abigenda, ſed viſus jam clarior jam obſcurior fiebat. Febris tandem ingruit cum urina rubra ſine ſedimento, ſiccitate, ſiti, diarrhœa, anxietate, deliriis, & artuum, præſertim vero ſcapularum cervicis occipitiſqve, doloribus, ad conſveta remedia rebellis: donec poſt 8 circ. dies ex inſperato plica generata cum amauroſin tum cetera omnia ſymptomata penitus profligavit.

(c) Primit. phyſ. med. Polon. Vol. 1. Obſ. 15. p. 187. ſqq.

d) *Arthritis, podagra, rheumatiſmus.* Ab rheumatiſmo brachii vi frigoris externi verſus encephalon allecto SIGELII (*d*) vir amauroſin contraxit; qvod idem ex eadem cauſa etiam SCHMUCKERI (*e*) viro accidit. P. R. VICATII (*f*) „ conſilium ... „ petiit anus plebeia ſeptuagenaria ob caliginem a metaſtaſi rheumatica in utroqve „ oculo orta. A 6 annis nempe cum rheumatiſmo laborans frigori diu ſe expoſuiſſet, „ vehementem aliqvot dierum cephalalgiam „ experta eſt, ſilentibus doloribus rheumaticis. Ea autem cephalalgia ſenſim diſſipata ſimul obſcurati ſunt oculi adeo, ut tandem nihil amplius præter lumen confuſum „ cernere poſſet ægra, confirmata tunc caligine. Elapſo anno hæc ſenſim iterum „ diſſipabatur, rheumatiſmo brachia repetente, qvæ antea occupaverat; relicta tamen viſus debilitate. Verum poſt aliqvot „ menſes recedente iterum rheumatiſmo „ rediit caligo. Ea alternatio abſqve temporum ordine adhuc aliqvoties locum habuit. Nunc autem a 6 menſibus oculos

(*d*) Vide §. 106.
(*e*) Vide §. 38. d).
(*f*) Delect. obſerv. pract. Obſ. 20. p. 75.

occu-

„ occupabat caligo obſcurior, qvam prius „ fuerat, ut vix ac ne vix qvidem ſolis lu- „ men percipere valerent. Cum autem fe- „ minæ nunciaret, curam in adeo provecta „ ætate . . . ſi non impoſſibilem . . . ſaltem „ admodum longam, tædioſam, & ſumptu- „ oſam fore; ſpei reſtituendi viſus, qvam „ utcunqve alebat, ſe renunciare debere „ ſaſſa eſt: adeoqve adverſus morbum nil „ molitus eſt „. Ab arthritide retropulſa femina GÜNZII teſte OEHME (*g*) perinde amauroſi mulctata eſt. V. RIEDLINUS (*h*) narrat mercatorem Gallum 40 annis majorem, cum febricitanti in Gallia omnis fere ſangvis exhauſtus fuiſſet, poſtea in gravem incidiſſe arthritidem; qvam neglectam, imo perperam interdum etiam topicis externis tractatam, poſt ſexennium effecit anomalam; donec a retrogreſſa ejus materia vomitus qvadrimeſtris omnium ingeſtorum eſt obortus, cui tandem ſupervenit cœcitas, ut lumen oculis obverſum non ſentiret, nullo licet in iis conſpicuo vitio. Vomitum qvidem eſſentia ♂ ſuſtulit; ſed cœcitati ad remedia rebelli ſe junxit mox laborioſa reſpi-

(*g*) Diſſ. cit. §. 7. p. 15.

(*h*) l. c. Febr. 4. p. 98. ſqq.

ratio, & æger ejusdem diei nocte exſpiravit. I. L. SCHMUCKERI (*i*) podagricus pede dolente dextro aqve frigidæ immerſo doloris eodem adhuc die expers factus postero die utroqve oculo captus eſt, viſu non amplius recuperando. MUZELLII (*k*) autem homo ex hac ipſa cauſa non niſi incipientem amauroſin expertus eſt. Sic etiam „ notavimus cœcitatem, inqvit L. G. „ KLEIN (*l*), ex podagra emplaſtico opiato „ a nebulone agyrta repreſſa, cantharidibus „ hac feliciter revocata depulſam iterum „.

§. 39.

II. VACUATIONES *humorum* cum ſpontaneæ tum arte procuratæ. Hæ triplici fere ratione amauroſin cauſare poſſunt, nimirum vel ob ſubitam vaſorum, aut inſignem ſaltem, inanitionem, qvam toties paralyſes variæ (proinde etiam nervorum opticorum) ſeqvi ſolent; vel ob ſpaſmos ex indebita humoris boni jactura non raro oriundos, qui in partibus nervos opticos am-

(*i*) l. c. p. 7. ſq.
(*k*) Vide §. 111.
(*l*) Interpr. clinic. p. 194.

bientibus obortiis paralyſim inducunt; vel denique qvod ſub evacuatione humorum maſſa ſeu ob ſpaſmos ab inferioribus partibus verſus ſuperiora tendentes, ſeu ob ſtimulum capitis vaſis nervisve applicatum, ſeu etiam ob turbatum circulationis tenorem ac typum, verſus encephalon urgeatur; cujus vaſa inde infarcta premendo vel cerebri corticem vel nervum opticum vel retinam paralyſim nervo viſorio inducunt. Proinde

a) *Hæmorrhagiæ* & *ſangvinis miſſio* huc in primis pertinent. Poſterior mira ſæpe & vix ſatis perſpicienda ratione amauroſin acceſſere obſervata fuit. I. G. SCHIEBEL (*m*) memoriæ prodidit, a FERDINANDO I. Imper. narratum fuiſſe de centurione, qui mox a Vᵃ Sᵉ cœcus factus non niſi poſt aliquot hebdomades viſum denuo, at imminutum, recepit. Addit etiam virginis exemplum, qvæ ſangvine e vena fluente nihil ſe videre exclamavit, ac tametſi vena continuo clauderetur, eam tamen viſu orbatam in perpetuum manſiſſe. Apud N. FONTANUM (*n*) quadragenarius ophthalmia oculi laborans ſecta vena cephalica evaſit oculo dextro cœ-

(*m*) Dom. amœnit. hiſt. P. 2. p. 137.
(*n*) Analect. obſ. C. 11. exempl. 8.

cus; injecto vero clysmate & secta rursus basilica læva, detracto sangvine ad ℥ vj, visum statim recuperavit. At vero I. U. RUMLERI (*o*) civis Augustanus, dum ad rebellem cephalæam ei vena cephalica secta esset, dolore eo ipso momento evanescente correptus est illico amaurosi ad mortem usqve manente. Perinde P. ROMMELII (*p*) anus 66 annor. ab anno in lævo oculo maculam albam habens ac visu debiliusculo laborans post imperatam sibi brachii V[æ] S[em] continuo deterius videbat, donec lapsis 3 hebdomadis ita visus periisset, ut lucem a tenebris vix discerneret In lucido loco posita dolorem insignem sentiebat, nullum in tenebris. Alba illa oculi lævi macula post V. S. subitum incrementum cepit: dexter vero amauroticus evasit. Variis frustra tentatis cœca mansit. Et alibi (*q*): „ ego (inqvit idem Auctor) non simplici vice in „ plurimis, qui saltem ex consvetudine „ qvotannis venam secare solent, observavi, sangvine rite fluente, ubi vix una „ vel altera sangvinis uncia adhuc egressa

---

(*o*) Obs. med. 70 apud G. H. VELSCH l. c.
(*p*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. obs. 46.
(*q*) Ibidem dec. 2. ann. 5. obs. 144.

„ erat, illos de nebula oculis obversan-
„ te, vel rebus diversicoloribus visui se
„ objicientibus, conqvestos esse, non-
„ nullos etiam talia vel his similia verba
„ protulisse: DEUS *bone! ego vix vel pa-*
„ *rum, vel hoc vel illud video*, nullo subse-
„ qvente animi deliquio vel lipothymia,
„ Tunc ego statim venam claudere & qvi-
„ eti se committere imperavi „ &c. Porro
„ GÜNZIUS virum 43 annorum vidit, in-
„ quit OEHME (*r*), cui sangvine ex bra-
„ chii vena misso, etsi non animo linqve-
„ batur, neqve alii sensus deficiebant, ta-
„ men videndi potestas ad $\frac{1}{4}$ horæ partem
„ non erat „. Deniqve T. BONETI (*s*) rustico dum cephalalgiæ ergo frontis vena secaretur, mox ut erupit sangvis, visus minui cœpit, pergenteqve sangvinis filo plena cœcitas est secuta. Eo vero magis a V^æ^ S^e^, si larga nimis aut crebro instituta fuerit, malum hoc timeri potest. I. C. BAEUMLINI (*t*) vir robustus & sangvineus 77 annor. neglecta solita V^æ^ S^e^, messis tempore æstuans cellam sæpius vinum bibitu-

(*r*) l. c. §. 9. p. 22.

(*s*) Sepulcr. anat. L. 1. S. 18. append. ad obs. 4.

(*t*) Commerc. Nor. T. 10. A. 1740 hebd. 24. No. 2. p. 189.

rus ingrediebatur, siti phlogosibusqve succedentibus; & cum die qvodam bene pransus vinum unius anni dulce ac generosum uberius hausisset, vertigineqve correptus esset, antecedente hypercatharsi, V^æ S^em postero die largam instituens, inde primum in lævi, & post 8 dies etiam dextri oculi incidit amaurosin immedicabilem. Sic etiam I. LANZONI (*u*) adolescens, sanus alioqvin, diarrhœa laborans, misso e brachio dextro sangvine ad ℔ j. suppressa inde alvo sensim visum omnem amisit irrecuperabilem. Ita qvoqve GÜNZIUS GEISLERO (*x*) „ puellæ „ 18. annor. exemplum . . . retulit, cui febre „ ardente laboranti dum tertia ac decima „ vice sangvis ex talo mitteretur, eo fluen- „ te acies eripiebatur „. Forte & huc referendus est casus a C. STALP. VAN DER WIEL (*y*) adnotatus: „ narravit mihi (ait „ ille) chirurgus DU FOIX vulgo LUCQ „ de qvodam, qvi vulnerato pectore cœ- „ cus evaserat „. Huc usqve facta. Sed qvid ad hæc pathologorum cerebra? Audia-

(*u*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. Obs. 70.

(*x*) Diss. cit. §. 8. p. 15.

(*y*) Obs. rar. med. anat. chir. Cent. 1. Sch. ad Obs. 31.

mus! H. BOERHAAVIUS (z) „ quando „ (inquit) præſentes venæ ſectionem inſti- „ tui videmus, qvomodo vires deficiant, „ obſervamus. Homo nempe de mutatione „ colorum primo conqveritur, colorem vi- „ ridem in cœruleum mutari, hoc ſignum „ eſt inſtantis lipothymiæ, proximo enim „ momento dicit, obtenebratur dies, o- „ mnia nigra adparent, & ſtatim incidit in „ animi deliqvium, qvod oritur a minori „ cerebri & cerebelli inflatione, propter „ ſangvinis detracti proportionem, qvæ „ tanta eſt, ut ſufficientes ſpiritus ſeparari, „ & in nervum opticum influere, eumqve „ extendere non poſſint. Eadem deliqvia „ fiunt poſt vulnera cum magna hæmorrha- „ gia„. Verum enim vero ſi diligenter ad allatas hic hiſtorias animum qvis adverterit, haud pauca eſt in iisdem reperturus, qvo- rum rationem ſufficientem e doctrina BOER- HAAVII neutiqvam exſculpet. Citra ullam ſane ſyncopen morbus plerisqve accidit, præ- ſertim GÜNZII viro, cui ne alii qvidem ſen- ſus ullatenus lædebantur, uti nec aliis hic adductis, id qvod evenire in ſententia ad- optata BOERHAAVII deberet. Tum qvæ-

(z) l. c. §. 114.

rere lubet, cur fugax aliis, aliis perpetua amaurosis inde accidat? Si enim solus spirituum in opticum nervum impellendorum defectus in causa est, cur recuperata pristina sangvinis massa, proinde secretis debita copia spiritibus, cœcitas aliqvibus perstitit immedicabilis? Collapsum est (dices) cerebrum, unde stamina optica oriuntur, atqve ad pristinum statum haud unqvam reduci potuit. Bene habet! sed cur FONTANI viro uno in latere collapsum? Et qvi collabi in BAEUMLINI sene post 8 dies dextro in latere potuit, sangvinis massa illuc usqve resarcita? Porro qvi cœcitatem altera V^{a} S^{o} solvit, qvam prima in FONTANI viro accersivit? ROMMELII anui qvid acciderit, si rite expendimus, & cum FONTANI casu conferimus, veri apparebit similius, ab id genus sangvinis missionibus, dum vasa alia inaniuntur, ophthalmicorum fieri infarctum plus minus durabilem; cui opinioni apprime favet F. HILDANI (*a*) observatio: „ sartor . . . „ 30 circ. annorum . . . cum doloribus capitis & epilepticis paroxysmis in longum „ tempus vexaretur, qvadam die barbitonsorem accedit, cui cum morbum suum exposuisset, ramum illum venæ frontis, qvi

(*a*) l. c. Cent. 5. Obs. 18.

„ in aliqvibus nonnihil ad finiſtram vergit, „ protinus incidit, nulla præcedente corporis præparatione. Qvid fit? Oculus in „ ipſo etiam momento motum amiſit, fixus, „ immobilis, & clauſus permanſit. Dolor „ qvoqve capitis exacerbatus fuit; inflammatio qvin etiam oculi ſiniſtri ſecuta eſt „ adeo magna, ut eroſis membranis humores effluxerint, & viſus omnino deperditus fuerit: ſed &, qvod maximum, non „ diu poſt loqvelam amiſit; adhibitis tamen „ remediis . . . ipſam aliqvomodo & ex „ parte recuperavit „. Numqvid hic phlebotomia ſangvinis ad caput congeſtionem cauſavit? Atqve idcirco etiam I. E. G. OEHME (*b*) rem acu minus tetigiſſe cenſendus eſt „ non raro (inqviens) etiam non in nervo vitium, verum in ſuccis eſt, qvibus „ deficientibus nervus ſiccus fit. Idqve tanto facilius fieri poteſt, qvanto partim minori vi ſangvis per nervi vaſcula movetur, & qvanto hæc ipſa anguſtiora ſunt, „ magisqve reſiſtunt. Qvare cur ſangvine „ miſſo caput in primis afficiatur, planum „ eſt „. Imo vero e data explicatione minime planum eſt. Etenim concipi plane

(*b*) l. c.

neqvit celeris adeo nervi ſiccitas in ſubita amauroſi, qvam experta eſt SCHIEBELII virgo, civis ROMMELII, ruſticusqve BONETI; & ſugaxne, qvæſo, ſiccitas adſtruenda erit in fugacibus amauroſibus, qvales a V[æ] S[e] FONTANUS, GÜNZIUS, & ROMMELIUS obſervarunt? Atqve hinc ſatis patet, qvam facile ratiocinium, ut ut ſpecioſum videatur, fallat, niſi cotem obſervationum ſit expertum. Interea negandum non eſſe videtur, a ſubita & inſigni ſangvinis jactura ob ſolum ſpirituum defectum amauroſin evenire poſſe; verum tum ceteri qvoqve ſenſus perinde labaſcant, oportet; qvo in caſu ſæpenumero convulſiones qvoqve ingruunt: id qvod forte apud I. I. SCHEUCHZERUM (*c*) ita „ accidit, ut prægnanti „ ἐνσάρκῳ chirurgus venam aperiret media„ nam utriusqve brachii eadem hora, ut „ multum imo nimium effluxerit ſangvinis. „ Hinc mox ortæ convulſiones & amauro„ ſis „. Qvod jam de miſſionibus ſangvinis dictum eſt, idem omnino de ſpontaneis qvoqve hæmorrhagiis valet. Sic „ ruſticus „ qvidam, inqvit I. A. GENSELIUS (*d*),

---

(*c*) Act. nat cur. Vol. 2. Obſ. 45.

(*d*) Annal. Vratisl. Tent. 7. A. 1719. Mart. Cl. 2 art. 3. §. 2. p. 299.

„ post enormem hæmorrhagiam narium re-
„ portavit cœcitatem „. Perinde „ ab
„ hæmorrhagia nimia, teste s. ALBERTO,
„ in studioso contigit eadem, inqvit G. W.
„ WEDELIUS (*e*), qvi non tantum cœcus,
„ sed & fatuus evasit „. Et G. HELDII (*f*)
ægra 43 annorum, 4 jam mensibus utero gerens, a drastico purgante abortum passa, cum ad placentam expellendam vinum crocatum hausisset, in 70 dierum hæmorrhagiam uteri continuam lapsa, debilitatem crebrasqve lipothymias incurrit, visu simul indies fatiscente, ita ut primum dimidium tantum videret maritum, breviqve post nihil prorsus cerneret, sine conspicuo in oculis vitio. Malum mansit immedicabile. Interdum vero etsi non usqve adeo fluxus sangvinis sit excedens, tamen haud raro amaurosin post se trahit, qvod in puerperis præsertim mox a partu, testante BARTISCH (*g*), est solenne. Ita referente OEHME (*h*) „ GÜNZIUS
„ qvoqve de puerpera consultus fuit, qvæ
„ proxime post partum lumen amiserat „.

(*e*) Diss. de amaurosi Cap. 3. p 17.
(*f*) Misc. nat. cur. Cent. 3. Obs. 180.
(*g*) l. c.
(*h*) l. c. §. 7. p. 16.

b) *Vomitus* ſeu ſangvinis ſeu alius qvivis haud raro amauroſin producit, qvemadmodum puero puellæqve HAENII (*i*), tum pyrobolario MAYRI (*k*) accidit, & arthritico Gallo RIEDLINI (*l*). F. HILDANI (*m*) „ homo 34 circ. annor... obeſus „ & conſtitutione corporis pituitoſus, cum „ ante annos aliqvot in cacochymiam inci„ diſſet, toto corpore, uti in anaſarca fie„ ri conſvevit, intumuiſſet, & vomitorium „ validiſſimum ſumpſiſſet, eodem die, imo „ & inter vomendum, viſum plane amiſit, „ ſine dolore tamen, & oculis manentibus „ claris... Manſit in hac cœcitate 24 circ. „ horas, ſeqventi vero die poſt ſumptum „ medicamentum cum ſuperpurgatio per in„ feriora ſuperveniſſet, viſus in integrum „ reſtitutus fuit „. Idem STURMIO ſeni jam ab emeticorum per intervalla uſu eveniſſe accepit. Perinde F. HOFFMANNI (*n*) „ femina ſenſibilioris & teneræ conſtitutio„ nis, ſpaſmis hyſtericis obnoxia, tumidam

(*i*) Vide §. 116.
(*k*) Vide §. 107. No. 3.
(*l*) Vide §. 38. d).
(*m*) l. c. Cent. 5. Obſ. 19.
(*n*) Diſſ. de imprud. medicat. §. 20.

„ & cachecticam faciem habens, sumpsit „ emeticum, qvod vehementes vomitio- „ nes movebat. Non multo post caligant „ oculi, & plenarie visio amittitur, neqve „ restituta fuit „. Idem Auctor (*o*) meminit „ cujusdam mechæ libidini vagæ in- „ dulgentis, qvæ qvotiescunqve venereis „ amplexibus se se subjiciebat, oculorum „ caligine visusqve hebetudine afficiebatur: „ donec tandem inconsulto emetici validio- „ ris usu in guttam serenam incidens lumi- „ nibus penitus orbaretur „. Porro G. W. WEDELIUS (*p*) seqventem refert casum: „ femina 34 annor. habitus tenerioris & sta- „ turæ minoris, alias hilarioris animi, & „ erroribus diætæ liberioris faventior, a fri- „ gore & terrore forti corripitur dolore ar- „ ticulorum. Menses aliqvando per 5. 6. 7. „ hebdomadas cessarunt, hinc vero etiam „ per aliqvot dies fortius fluxere. A me- „ dico bis per vomitoria strenue ad 20 vi- „ ces exercitata brevi post oculis utrisqve „ qvasi extortis & tumefactis, imo non lon- „ ge post excœcatis. Bis convulsa enim „ inde visum penitus amisit, citra ullam

(*o*) Diss. de morb. a nimia & intemp. venere §. 26.
(*p*) Diss. casum de gutta serena exhibens pag. 4. sqq.

„ qvippe causam manifestam prægressam,
„ nil qvidqvam videt utroqve oculo. Ablatus qvoqve olfactus, caput qvandoqve dolet & tempora, palpebra una quasi flaccida & pendula alteri dissimilis, quæ tamen postea restituta est. Auditus qvoqve qvasi stupidus, rediit tamen, sed sibilus qvandoqve adest. Pupillæ maxime dilatatæ & grossæ, iris solito videbatur minor; pupulæ quædam idea vel umbra apparet intus, sed diffusa. Cetera ὀρθοστάδιος, somnus bene habebat. Post aliqvod tempus paulo melius habere visa, confuse dignotionem qvamdam lucis & tenebrarum seu diei & noctis agnoscebat, & lumen candelæ accensæ, licet confuse, oculi etiam prius extorti subsederunt; imo luculentia (Vielhelligkeit) aliquando adesse, sed citra distinctionem, aperiendo oculos dolorem qvemdam levem sentire visa. Tandem nullo modo ad setacei usum persvadenda oculario Medico denuo commissa semel iterumqve momentaneo ictu hominem agnoscere aliqvando sibi visa, sed mox remisso & amisso eodem, in fine eodem modo, qvo morbus primitus inceperat, etiam finitus est; siqvidem post unum alterumqve annum vehementi terrore vitam cum morte commuta-

„ vit„. V. RIEDLINUS (*q*) curandam habuit feminam, cui 5 annis ante vulnus ſub mamma dextra cultro ſat altum inflictum erat, a qvo curata ſat bene habens ubi nupſiſſet, aliqvo poſt tempore ingenti ſangvinis vomitu correpta viſum perdidit, debilis, febriens, lividisqve maculis hinc inde obſeſſa. Exhibitis vero alexipharmacis cum cephalicis ac reſolventibus eodem adhuc die viſum recuperavit, ac brevi plane convaluit. Contra ea C. I. TREWII (*r*) femina 50 annor. cholerica, ab aliqvot jam annis menſibus carens, vomitu cruento correpta, excreto a veſpere ad mane uſqve ultra 3 menſuras liqvamine maximam partem cruento, ubi adſtringentium uſu pacato vomitu, ſed oborto univerſali ictero, in ſomnum incidiſſet, ſub meridiem evigilans lucem a tenebris diſcernere neqviit, pupillis apparentibus diffuſis. Ictero per diaphoretica fixa & nervina diſcuſſo, amauroſis remediis non ceſſit. Narrat deniqve I. G. H. KRAMERUS (*s*) puellam epilepticam ſumpto vitriolo antiepi-

(*q*) l. c. ann. 2. Jul. 12 p. 324.
(*r*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obſ. 52.
(*s*) Commerc. Nor. T. 2. A. 1732. hebd. 42. No. 9. p. 334.

leptico STISSERI ab epilepsia liberatam qvidem fuisse, sed visum confestim periisse. Ex omnibus itaqve adductis casibus, præsertim illo HILDANI, satis patet, amaurosim a vomitu ortam infarctui vasorum capitis deberi.

c) *Catharsis* nimia perinde amaurosin visa est induxisse, notante AMMANNO (*t*), id qvod sexagenarius HALLERI (*u*) dextro in oculo est expertus, & G. D. MAYERI (*x*) qvoqve religiosus; licet Auctor morbum non tam catharsi, qvam potius ☿io tribuerit. Neqve aliorsum opinor esse referendum HILDANI (*y*) casum de vidua, qvæ sumpta a carnifice potiuncula (cathartica procul dubio) eadem adhuc die visum amisit, nec recuperavit. D. SENNERTUS (*z*) perinde „ meminit ... studiosum, cum ipsi a qvodam „ medicamentum purgans fortius exhibitum „ fuisset, subito obcœcatum fuisse „. Modus vero, qvo catharsis hoc malum inducit, idem prorsus esse videtur, cujus in hæmorrhagiis meminimus, nimirum aut infarctus va-

(*t*) Medic. crit. cas. 79.
(*u*) Vide §. 90.
(*x*) Vide §. 68.
(*y*) Epistola 92 sub finem.
(*z*) l. c. L. 1. P. 3. S. 2. C. 37.

forum

ſorum ophthalmicorum, aut ſubita vaſorum encephali inanitio. Infarctum fieri ab alvo fluxa in oculorum vaſis docuit mea me praxis. Matronam habui curandam, cui familiaris medicus haud multo ante, neſcio qvo ſcopo, catharticum præſcripſerat, mite qvidem, & clemente doſi; ſed matrona mobilis admodum ſexagies inde & amplius dejiciens protinus in peſſimam unius oculi inflammationem incidit, qvæ aliqvamdiu neglecta alterum qvoqve jam oculum impetebat. Ab ſuis deſerta medicis meam tandem opem flagitavit. Revellentia, derivantia, aliaqve conſveta præſidia, ſolis catharticis vitatis, morbum ſuſtulere. Pro amauroſi vero inanitioni ſubitæ vaſorum tribuenda militat ſeqvens I. C. A. MÜLLERI (*a*) caſus haud vulgaris: femina 33 annorum paludoſo in loco degens e 4na 9 menſes, qvin remediis uſa ſit, tolerata in univerſalem ſimul hydropem incidit. Febri ergo cortex Peruv. hydropi gummi guttæ & ſqvilla oppoſita, utrumqve auſpicato. Sed apyreta detumeſcensqve ægra conqveri cœpit de cœlo nubilo, ſerenum licet fuerit, moxqve viſus pedetentim ita peribat, uti tumor hydropicus

---

(*a*) Frænkiſche Samml. 4 Band 20 St. 3 art. 2 Beobacht. p. 135.

ſubſidebat magis, qvo plane ſublato viſus qvoqve omnis ita periit, ut non niſi lucem a tenebris ægra diſcreverit. Accedentem vero ſimul aliqvoties ſyncopen prohibiturus porro medicus dum arctis ægram faſciis conſtringi jubet, ecce lucis aliqvid illa recuperat. Idcirco continuato faſciarum uſui adjuncta interna roborantia ægrotæ priſtinam reddidere ſanitatem.

d) *Cholera* proinde tanto facilius amauroſin producere valet; ſiquidem eam cum vomitus tum catharſis ſeorſim produxerint. HILDANI (*b*) ruſticus cum ab empyrico adverſus epilepſiam aliqvot jam annos moleſtam medicamentum vehementer ano catoqve evacuans ſumpſiſſet, epilepſia fugata amauroſim eſt adeptus. Porro F. HOFFMANNUS (*c*) meminit infantis trimuli, variolis, cum vix ¼ anni attigiſſet, correpti, qvæ 3° poſt die evanidæ ipſum cauſarium effecere. Crebris primum catarrhis conflictatus, in abdominis deinde duritiem lapſus eſt; contra qvam præter alia emeticum bis datum ſpontaneos poſt ſe vomitus cum alvi fluxu reliqvit, qveis conſopitis ſupererat ingens langvor, cui amauroſis cum loqvela

(*b*) Obſ. & cur. med. chir. Cent. 5. Obſ. 5.

(*c*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 4. Obſ. 4.

impedita læviqve brachii tremore crebro accessit. Tumidum erat caput, nares perpetuo siccæ, crebri sudores fluxere; debilitasqve tanta, sub integro licet appetitu, alvo libera, bonoqve somno, ut corpus, etsi musculosum, dum ex lecto attollebatur, qvasi collabi artubus videretur. Non perperam etiam huc TULPII (*d*) vir potest referri.

e) *Vigiliæ* crebræ, protractæ, qveis non modo spirituum fit dispendium, sed etiam humores uberius ad encephalon alliciuntur, vasa infarcturi, dissipata tenuiore parte minus meabiles. Sic vidit v. RIEDLINUS (*e*) militem 60 annis majorem, qvi pacta mercede pro commilitonibus olim singulis noctibus excubias agens paulatim visu privatus est; licetqve cataracta remota fuerit, quæ aderat, visus tamen vix parum rediens brevi iterum periit non recuperandus. Cataractam ergo cum amaurosi e vigiliis nimiis contraxit. Maxime vero vigiliæ cum lucubrationibus nocturnis obsunt oculis, a qveis visum amisere studiosus CAMERARII (*f*),

(*d*) Vide §. 35. d).
(*e*) l. c. ann. 4. Septemb. 15 p. 762.
(*f*) Vide histor. 1.

HEISTERI (g) consiliarius, & hypochondriacus MARXII (h).

f) *Ptyalismus* uberior, seu ob inanitionem, seu infarctum vasorum ab humoribus copiosius ad caput ruentium; qvod posterius manifesto accidit HILDANI (i) matronæ, TILLINGIIqve (k) viro.

g) *Lactatio* profusa vel diuturna. „ Agnata mea, inqvit P. SALMUTH (l), „ ex suctu trium infantium, unius scilicet „ post alterum, cœca qvasi evadebat ita, „ ut uno oculo nihil omnino, altero vero „ diminute saltem videre posset; cum tamen „ nihil mali, h. e. nec inflammatio, nec „ suffusio, nec qvippiam aliud in oculis „ appareret. Idem fere & FERREMONTII „ uxori familiare erat: qvotiescunqve enim „ lactabat, toties lippitudinem oculorum & „ debilitatem visus incurrebat. Utriqve vero post ablactationem visus & abolitus & „ diminutus restituebatur, nec aliqvid mali „ in illis amplius restabat „.

(g) Vide histor. 4.
(h) Vide §. 90.
(i) Vide §. 115.
(k) Vide §. 68.
(l) l. c. Obs. 27.

h) *Venus* immodica. Amaurosin ex nimia venere ortam vidit curavitqve aliqvoties GORTERUS (*m*). Et „ in genere, inqvit „ M. ETTMüLLERUS (*n*), observandum, „ nil magis nocere oculis, qvam nimium „ veneris exercitium, adeo ut hujus solius „ occasione qvosdam gutta serena affectos „ meminerim „. Confirmant rem BOERNERI (*o*) juvenis, HOFFMANNIqve cum mecha illa (*p*), tum bini viri, juvenis unus (*q*), alter (*r*) 50 annorum militiæ præfectus, macer, sangvineo - melancholicus „ qvi per longum temporis spatium „ veneris prælia acrius & insatiabiliter miscens primum non modo langvorem, maciem, & consumptionem totius corporis, „ sed visum qvoqve deperditum sibi attraxit, & postea oculorum aciem plane amisit, ut omnia qvasi per nebulas cerneret; „ donec tandem, ingesta avidius carne suil-

(*m*) Vide §. 89.

(*n*) Colleg. pract. L. 2. S. 2. C. 1. art. 1. membr. 4. Opp. T. 2. P. 1. p. 730.

(*o*) Vide §. 98. No 2.

(*p*) Vide superius in h).

(*q*) Conf. & resp. med. Cent. 2. Cas. 104.

(*r*) Diss. de morb. a nim. & intemp. venere §. 24.

„ la fumo indurata, febrem timens, vomi-
„ torium usurparet, & post ejus usum capi-
„ te mirum intumescente cœcus prorsus red-
„ deretur „. Ita etiam D. PANAROLI (*s*)
„ juvenis qvidam ob nimium coitum visum
„ amiserat, ut parum cerneret. Medico-
„ rum consilio coitu in posterum fugato vi-
„ sum recuperavit, cum etiam qvotidie je-
„ juno corpore frustulum cinnamomi...
„ comederet „. Deniqve etiam C. F.
PAULLINI (*t*) „ virum novit eximie do-
„ ctum, at tenuioris texturæ, & valde
„ phlegmaticum, qvi anno ætatis 59° juven-
„ culam & summe lascivam ducens, tertia
„ a nuptiis septimana ab immoderato coitu
„ in repentinam & omnimodam incidit cœ-
„ citatem, 4° demum mense calcabat viam
„ universæ carnis „. Neqve improbabile
est, GÜNZII huc pertinere apud GEISLE-
RUM (*u*) „ juvenis exemplum... qvi cum
„ sensim lumen amittens a plerisqve evacu-
„ antibus cum sudoriferis tum fonticulis &
„ setaceo vexatus esset, tandem ... valen-
„ tissimi generis emetica medicina, &...

(*s*) Obs. med. Pentec. 2. Obs. 28.
(*t*) Misc. nat. cur. dec. 2 ann. 5. append. p. 56.
(*u*) l. c. p. 18. sq.

„ argento vivo, sed sine salivatione, eo „ cum eventu usus est, ut paulo post prorsus occœcaretur; & post mortem inveniretur omnes cerebri partes siccissimas habere„. Admodum enim casus hic BOERNERIANO est similis.

i) *Inedia* longa. Notatu dignus est hanc in rem casus I. M. VORWALTNERI (*x*): „Religiosus... vir P. N. pro more „ & instituto sacri ejusdem ordinis ad eremum concessit, ibiqve jejunio aliisqve „ piis exercitiis vitam duxit satis austeram: „ aliqvando cum tenuissimo victu tempus „ qvadragesimale celebraret, cœnamqve modica patella absolveret solo plane contentus, subito vehementer capitis dolore „ obrutus, brevi post oculorum acie hebetata, tandem visu a latere ita amisso, ut „ nomen ex pluribus syllabis combinatum „ non nisi capite & oculis qvamlibet syllabam seorsim seqventibus legere potuerit, „ atqve, ut exemplo mihi transscripto utar, „ nomine e. g. IOANNES scripto primam „ tantum syllabam IO. discernere licuerit ceteris prorsus exulantibus. Pariter inter „ duos vel plures ambulantes junctim socia-

(*x*) Misç. nat. cur. dec. 3. ann. 5. Obs. 197.

„ tos unum ſolum e directo ſibi obviam vi-
„ dit, qvin ſpeculum inſpiciens dimidium
„ ſaltem oculi atqve pupillæ repræſentari
„ ſemper obſervavit ... Variis remediis ...
„ uſus priſtinam videndi facultatem recupe-
„ rare non potuit „.

§. 40.

12. CONVULSIONES ſeu clonicæ ſeu tonicæ haud raro amauroſin poſt ſe relinqvunt, in primis vero epilepſia, eamqve plus minus diuturnam, imo interdum perpetuam & immedicabilem. CRAANEN (y) vidit aliqvando a magnis convulſionibus cœcitatem momento ſecutam fuiſſe; ſed antiſpasmodicis exhibitis viſum itidem rediiſſe. C. E. ESCHENBACHII (z) „ puer nobilis
„ decennis circ. morbo affligebatur convul-
„ ſivo, qvo ſpeciatim caput in paroxyſmo
„ retrorſum ducebatur dorſum verſus, adeo
„ ut nucha aut frangi aut luxari videretur;
„ cujusmodi inſultus qvovis redibant mo-
„ mento. Poſtqvam ultra octiduum morbus
„ duraverat, intereaqve temporis medica-

(y) Lib. de hom. C. 100. p. 603.

(z) l. c. Obſ. 44. ſchol. p. 376.

„ menta omnis generis copiosissima erant ad-
„ hibita, qvamvis singula incassum, æger-
„ qve ad extrema redactus erat, chirur-
„ gus... in hoc ægroti statu deplorato ene-
„ ma periclitandum commendat, admixta
„ reliqvis ℥j. salis Anglici. Hoc effectum
„ edente nullum aliud seqventi die injicitur
„ enema, & cum illo sal. Anglic. ℥β. Qvo
„ facto excrementorum limum crassum refe-
„ rentium qvantitas maxima post aliqvod
„ temporis intervallum redditur; & convul-
„ siones immediate postea evanescunt peni-
„ tus. Ægrotus vero ad se rediens & gut-
„ ta serena laborabat, hinc visus facultate
„ penitus deperdita, & tantum non omni-
„ modam surditatem contraxerat. Succes-
„ su temporis interim hæc qvoqve sympto-
„ mata evanescebant, atqve æger remediis
„ adjutus idoneis tandem cum sanitate in
„ gratiam redibat „. E. GOCKELII (a) au-
rifaber febre 3na spuria cum anorexia, debi-
litate stomachi, dolore lateris & hypochon-
driorum, virium jactura, alvo obstructa &c.
laborans, cum negligentius remediis utere-
tur, circa 12 diem in atrocissimas bidui con-
vulsiones cum aphonia incidit, 3° die ces-

(a) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 2. obs. 142.

ſantes, & 4° die vehementius cum totius corporis membrorumqve horrenda vibratione & concuſſione recrudeſcentes, cum inducta bidui cœcitate, qvam 3° die ophthalmica adhibita diſcuſſere, ſuperſtite nihilominus dolore capitis, laterisqve, aſthmate, alvo clauſa. Qveis etiam ope enematum, catharticorum, ac topicorum ſuperatis æger ſenſim convaluit. L. HEISTERUS (*b*) meminit puellæ 9 annor. qvæ mane poſt ſomnum januam verſus tendens in ſyncopen lapſa eſt, citra pollicum in pugnum inſertionem. Aliqvo poſt tempore ſibi reddita nihil inde ad 13 uſqve ætatis annum incommodi ſenſit. Tum vero anxietates vertiginemqve ſæpe experta, demum hora 11ª meridiei ex humili ſede rurſum in ſyncopen lapſa eſt cum convulſionibus decies continuo revertentibus, donec injectum enema alvum ſolviſſet, vomituqve tenax mucus fuiſſet rejectus. Uſa aqvis Wisbadenſibus ac Schwalbacenſibus nihil eo anno præter vertiginem notavit. Inſeqvente æſtate rediit gravis vertigo, convulſionesqve bis aut ter repetiere, ſemper cum tenebricoſa viſus obſcuratione. Licet vero ægra hyemem elapſam ſat belle, ſi ver-

(*b*) l. c. 2 Band No. 195.

tiginem demas, transegerit, amblyopiam tamen obrepere sensit, temporeqve gravioris vertiginis perfectam, fugacem licet, amaurosin, qvæ tamen postea in continuam abiit. Annum 15 agens doloribus rheumaticis, præprimis femorum, vexata mensium fluxum nactura credebatur: ideo 4 hebdomadis potus aqvarum Schwalbacensium imperatus etsi habitum coloremqve corporis emendasset, ægraqve subinde muci albi tenacis copiam absqve incommodo vomuisset, in oculis tamen nihil omnino mutatum sensit. Interea sæpius, præsertim a meridie, accidit, ut ægra per momentum discerneret aliqvid, sed mox iterum omne id evanesceret. Alias etiam lucidum qvid, interdum vero flavum ac rubrum oculis obversabatur. Incassum vesicantia femoribus admota, scarificatum caput, fonticulusqve sub genu excitatus. Sæpius capitis nervorumqve cervicalium tensiones percipiebantur. Perinde SEGERI (*c*) gravidæ post convulsiones & coma amaurosis superfuit. Apud MARTEAU DE GRANDVILLIERS (*d*) adolescens 15 annor. post esum multorum crudorum fructuum

(*c*) Vide §. 69.

(*d*) Iourn. de Medec. &c. T. 13.

ac lacticiniorum incidit in vehementes convulſiones cum artuum tum aliarum etiam partium, qvas $V^{æ}$ S^{o} in brachiis pedibusqve primum, tum emeticum, dein catharticum, data crebriores etiam effecere; etenim inſultus 4. 5. per diem repetiere, ſinguli 13. 15. minutorum. Primo artus convellebantur, dein abdomen intumuit, præſertim ventriculus, attactu dolens, & velut mobile qvid continere viſus, ex qvo tamqvam ex AEOLI pila ructus celeriter alius ex alio ſub vehementibus ſpaſticis motibus elidebantur, interpolati ſubinde clamore jam intenſo & ſingultuoſo, jam rauco & aſpero. Poſtea tumor repente ad laryngem ortus ructibus exitum impediebat, tumqve ſpiratio, prius jam difficilis, plus lædebatur. Interdum præter ructus etiam vomitus intenſe acidi muci, vel cruenti etiam nonnunqvam, cum ſoda aderat. Inter hæc oculi fixi erant, & nec digitis nec luce admota mobiles cum aphonia, viſu tamen audituqve illæſis. Poſt borborygmos copioſis flatibus ano eliſis inſultum ſomnolentia eſt ſecuta. Inſultus noctu nunqvam invaſit, poſt qvem æger laſſus dextro capitis latere & lævo maxillæ condylo doluit, cetera hilaris & bulimo laborans. Urina turbida erat, & inſtar ſeri lactis alba, neqve facto etiam ſedimento albo clareſce-

bat. Semel per nares, vomitum, alvum, lotiumqve ſangvinem excrevit, ſcil. a convulſionum vehementia. In dextro oculo a primis jam paroxyſmis omnis pene viſus interiit, pupilla parumper ampliore facta. Singulare fuit, ægro, qvoties cæſaries (qvam denſam habuit) dextro in latere pectebatur, ſyncopen primum, tum convulſiones ſuperveniſſe. Cum ſpaſmodicæ hujus cardialgiæ cauſa eſſet mucus acidus ventriculi, datæ largæ doſes ☿um e lap. 69 & de Gutteta cum infuſo Fl. Tiliæ: unde poſt 5 dies urina ſanæ ſimilis, fex alba & pingvis, prodiere; tumor, dolor, bulimos, minuebantur; ructus ac vomitus rariores facti, minusqve acres. Oculo dextro redibat viſus, ſed principio objecta omnia cœrulea videbantur, donec tandem æger ſenſim convaluit. LYSON (e) refert caſum puellæ, cui 3 acus improvide deglutitæ 8 hebdomades intra œſophagum hærentes, nulla ope educendæ, cauſarunt inflammationem cum dolore, raucedine, & dyſpnœa. Ægra nil niſi parum fluidi nutrimenti aſſumere valens, adeo brevi enervata eſt, ut vix lectum relinqvere pot-

(e) A. G. RICHTER chir. Biblioth. 1. B. 3 St. No. 3. p. 65.

uit. Tandem chirurgo cuidam ſucceſſit acuum ope inſtrumenti ex oſſe balænæ in ventriculum depulſio: qvo facto omnibus mox ſymptomatis evanidis ægra brevi poſt recte valuit; at non diuturno tempore. Namqve continuus dolor latus dextrum ſub ſpuriis coſtis inſedit, ad elevationem brachii dextri exaſperatus, aut dum corpus antrorſum ſiniſtrorſumve flectebat. Rediit raucedo, cum vehementi tuſſi ac hæmoptoe. Dolor tuſſi vehementiore vel validiore corporis motu uſqve adeo increſcebat, ut ægra corruens non niſi poſt horam pedibus inſiſtere valeret. Aliqvoties tantus erat, ut convulſiones induxerit, qvæ inter cetera dextrum præprimis oculum corripientes eum ſurſum violente traxere, ſemelqve 14 dies hoc eodem in ſitu reliqvere. Semper autem poſtea per aliqvot dies viſus huic oculo peribat. Similia qvidem, ſed longe mitius, oculus lævus patiebatur. Aliqvamdiu poſt dextro in humero parvus apparuit tumor dolorificus, poſt aliqvot dies rurſus evanidus; ſed brevi inde ſimilis in humero lævo obortus, pus intra aliqvot dies colligens; qvo aperto poſtero die acicularum una, ac poſt biduum duæ reliqvæ, prodiere; continuoqve dolor lateris lævi, tuſſis, & hæmoptoe deſiit: ulcus brevi perſanatum eſt, & ægra non

multo poſt valetudinem priſtinam recepit. Deniqve & W. WATSON (*f*) puellæ medicinam fecit, convulſionibus cum numero tum diuturnitate acceſſionum ſpectata vehementiſſimis obnoxiæ, qvæ modo univerſi corporis muſculos exagitabant, modo ſingulos vel ſaltem haud plures, qvam qvi ad unam aliqvam pertinebant functionem. In altero hocce caſu qvemlibet paroxysmum finitum seqvebatur eorumdem muſculorum paralyſis convulſioni prægreſſæ proportionata, ut ægra ſic ad varias functiones peragendas notabili tempore prorſus inepta redderetur. Sic poſt toleratam muſculorum deglutitionis convulſionem puella per multas horas ne guttam qvidem liqvidi deglutire valebat, ſed potus vel illico erat rejiciendus ore, vel certe alioqvin ſuffocationi proxima fiebat. Si convulſio oculos invaſit, ea finita interdum perfecta ſeqvebatur amauroſis citra ullam vel clariſſimi etiam luminis perceptionem vel minimam diffuſæ pupillæ coarctationem, ita ut poſt unum id genus paroxyſmum cœcitas 5 dies duraverit. Per principia morbi dum laryngis muſculos malum corripuit, perfecta inſultum aphonia eſt conſecuta, qvæ qvi-

(*f*) LESKE l. c. 5 Band No. 17. p. 82. ſqq.

dem etsi rursus desiit, haud multo tamen post a nova accessione denuo est effecta, in 14 menses durans, etiam ubi ægra jam a convulsionibus liberata sana vixit, usqve dum tandem a 4 horarum saltu vehementer incalescenti loqvela subito rediisset, qvæ abhinc non amplius intercidit. Durante aphonia adeo simul memoria læsa erat, ut puella scribendi artem oblita fuerit, qvæ redeunte loqvela nihilominus denuo reversa est. Inter cetera ad aphoniam tollendam electricitatis ad laryngis regionem determinatæ vires tentatæ sunt; sed mox paroxysmos jam aliqvot mensibus per remedia sopitos revocabant, a qveis visus iterum aliqvo tempore interiit, ut proinde metu perpetuæ cœcitatis ab electricitate desistendum fuerit, omneqve negotium naturæ ac tempori committendum, donec a saltu, ut dictum, convaluit. Sic qvoqve amaurosin a convulsionibus sustinuere ægrotæ LENTINI (*g*), ROTHARTI (*h*), binæ SCHEUCHZERI (*i*), TULPIIqve (*k*), & qvas ex PLATERO ac LEN-

(*g*) Vide §. 35. d).
(*h*) Vide §. 60. No. 4. f).
(*i*) Vide §. 39. a). & § 60. No. 1.
(*k*) Vide §. 111.

TILIO (*l*) dabimus. Præſertim vero convulſiones epilepticæ, utpote diriores, amauroſim creant. M. GERBEZIUS (*m*) arcis præfectum vidit e colica epilepſiam paſſum, qva ceſſante amauroſis ſuperfuit, vacuantibus ac nervinis nihilominus fugata. Et
„ vivit (ait) alias etiamnum hic ... monia-
„ lis, qvæ epilepticis convulſionibus excœ-
„ cata ultra anni dimidium nec hilum vidit,
„ immunis interea omnino ab epilepticis in-
„ ſultibus: poſtqvam vero ipſi qvadam vice
„ inexſpectato rediiſſent, repente reverſus
„ erat & priſtinus viſus abſqve eo qvod
„ ulterius repetiiſſent ſoliti illi inſultus „ (*n*).
E. HAGENDORNII (*o*) pellio 50 annor. qvadratus, vinoſusqve poſt pluſcularum hebdomadum vertiginem in epilepſiam periodicam lapſus cum antiepilepticorum uſu eandem profligaſſet, viſum continuo minui ſenſit uſqve ad plenam cœcitatem, qvam nec ars medica nec reverſi denuo epileptici inſultus averruncare pòterant; ſed homo poſt aliqvot menſes variis ſymptomatibus exagita-

---

(*l*) Vide §. 41. b). & §. 76.

(*m*) Chronol. med. pr. Ann. 4. §. 50. p. 325.

(*n*) Ibid. Ann. 5. §. 33. p. 357. & Miſc. nat. cur. Cent. 1. Obſ. 130.

(*o*) l. c. Cent. 1. hiſtor. 17.

tus tandem occubuit. Ejusdem pene commatis casum refert P. SPINDLER (p): „ matrona... ex mœrore & indignatione in „ colicam incidit, qva per semestre spatium „ misere divexata tandem capitis dolore „ in sinistra parte corripitur tam gravi tamqve enormi, ut inde convulsiones epilepticas sæpius passa fuerit, ac subinde levem qvamdam visus debilitatem in sinistro „ adverterit oculo, qvæ tamen sua sponte „ iterum evanuit. Cum autem mense Decembri domicilium permutans in aliam „ domum & hypocaustum deportaretur, ecce sub primum ingressum subito cœca omnimode evasit, nihil turbatis aut vitiatis „ oculis, qvin iisdem salvis qvoad externam apparentiam manentibus. Sicqve „ post multos alios cruciatus ex scorbutica „ labe perpessos tota emaciata cœca vitam „ finiit „. Perinde „ puella qvædam 8 annor. inqvit I. C. MENTZELIUS (q), e „ schola domum rediens de capitis dolore „ & lassitudine corporis cum calore enormi „ conqverebatur, inseqventi vero die summo mane epilepticis corripiebatur convul-

(p) Observ. medic. 3.

(q) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 9. obs. 36.

„ sionibus: unde parentes perterriti meum
„ implorabant auxilium & consilium. Con-
„ sideratis itaqve a me exacte omnibus cir-
„ cumstantiis, præsertim cum puella digitis
„ nares continuo fricaret, ... varia contra
„ vermes medicamenta ordinabam; sed...
„ convulsiones potius ex hisce exacerba-
„ bantur, ita ut, qvæ antea per intervalla
„ affligebant, jam continuo sine intermissio-
„ ne durarent, ægræqve caput, oculi, ma-
„ nus pedesqve dies noctesqve in motu ad-
„ spectu satis horrendo cum omnium sen-
„ suum deperditione essent; oculos licet
„ apertos semper teneret, nihil tamen vi-
„ debat: nam candela accensa & ante ocu-
„ los hinc & inde mota nullam causabatur
„ nictitationem; interrogata nihil responde-
„ bat, nihil audiebat, neqve medicamenta
„ neqve alimenta ipsi exhibita deglutiebat,
„ ita ut singulis momentis illam e vita mi-
„ graturam existimarem. Sed qvid fecit?
„ In statu hoc deplorato per integras 6 heb-
„ domades ... ita manebat: postea sensim
„ sibi reddita; convulsiones pedetentim re-
„ mittebant, puella submurmurare aliqvid in-
„ cipiebat, atqve potum & victum posce-
„ bat, & medicamenta, qvæ necessaria ju-
„ dicabam, rursus adsumere incipiebat; sed
„ cœcitas, licet oculi clari essent, & ex-

„ terius ſine omni labe conſpicerentur, re-
„ manebat: neqve pedes neqve manus offi-
„ cium ſuum facere volebant. Poſt duo-
„ rum menſium vero curſum viſus & vires
„ paulatim redibant, puellaqve, qvæ ſcele-
„ ton antea repræſentabat, εἰσαρκη facta in
„ integrum reſtituebatur, excepto dextro pe-
„ de, qvem exacte movere neqvit, hinc greſ-
„ ſum cum claudicatione habet difficilem „.
Cœcitatem ab epilepſia in parturiente etiam I. STORCH (r) obſervavit; qvod idem epilepticis GOHLII (s), HIRSCHELII (t), HOFFMANNI (u), WINCLERIqve (x) evenit, nec non matronæ S. SCHULTZII (y), qvæ a menſibus biennium ſuppreſſis ac nulla arte reſerandis tumorem pedum & abdominis magnis cum torminibus eſt perpeſſa. Hiſce remediorum ope ſublatis ſupervenit ex intervallis vertigo viſusqve debilis, ac non multo poſt graviſſima epilepſia; qvæ exhibitis remediis aliqvot dierum inducias pa-

(r) l. c. Ann. 3. Octobr. Cl. 2. No. 10. p. 652. ſqq.
(s) Vide §. 112. b)
(t) Vide §. 68.
(u) Vide §. 83.
(x) Vide. §. 68.
(y) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. obſ. 259.

cta oculorum post se convulsionem ac strabismum reliqvit; sed ad levissimum terrorem repetebat. Superatæ nihilominus supervenit sensim amaurosis, qvæ cum pertinacissima illa mensium obstructione conjuncta nullis potuit præsidiis expugnari, ut ut efficacibus. Visis jam his multifariis exemplis superest, ut qva ratione amaurosis e convulsionibus generetur, dispiciatur. Varii rem varie conceperunt. A. M. VALSALVA teste I. B. MORGAGNIO (z) circa bulbum oculi duos se annulos detexisse existimavit, majorem unum, alterum minorem. Major ipsi est sphincter qvidam quasi muscularis, nervum opticum ambiens, efformatus e fibris trium musculorum rectorum bulbi, scil. superioris, inferioris, & interni, circuli in formam circum nervum opticum inter se implexis, qvem circulum muscularem seu tendineo-carneum Auctor *annulum moderatorem nervi optici* compellavit: hincqve amaurosin e prægressis convulsionibus ortam haud difficulter exposuit. Nempe si in illis etiam musculi recti convellantur in oculo, convulso annulo moderatore nervi optici iste velut vinculo constrictus evadet paralyticus (*a*). Verum

(z) Epist. anat. 16. No 18.
(*a*) Epist. anat. 18. No 1.

enim vero cum ſolertiſſimus MORGAGNIUS (*b*) neutrum horum annulorum repererit, ruit omnis hæc theoria, qvam etiam adoptaverat SAUVAGES (*c*). Nihilo tamen ſecius idem, qvod annulus, ſi adeſſet, facturus erat, fieri poſſe credit MORGAGNI (*d*) ab actione ipſorum muſculorum bulbi, qvorum extrema ope duræ matris cum optico nervo firmiter cohærent toto ejus ambitu, dum ab iisdem varie convulſis velut a digitis undiqve comprimitur. Contra ea VIEUSSENIUS (*e*) WILLISIUSqve (*f*) convulſionum tempore nervos opticos a nervorum 3tii & 5ti paris ſurculis membraneisqve filamentis, qvæ circum illos annuli in modum circumjacent, ſpaſtice conſtrictis comprimi, ſicqve amauroſin oriri, exiſtimabant. PLATERUS vero id genus amauroſes maluit e nervorum opticorum contorſione, qvam convulſi bulborum muſculi efficiant, repetere: qvod neqve MORGAGNIO (*g*) diſplicuit: qvippe cui doctrinæ magnopere faveat BIN-

(*b*) Ibidem & Epiſt. anat. 16. No. 23.
(*c*) l. c. No 8.
(*d*) Epiſt. anat. 18. No 1. ſqq.
(*e*) Nevrogr. L. 3. C. 2.
(*f*) Cerebr. anat. C. 21.
(*g*) De ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. 13. No 5.

NINGERI (*h*) Comes a pueritia amaurosin ob nervos opticos contortos passus, id qvod MORGAGNIUS convulsionibus hac ætate maxime contingentibus, testimonio HIPPOCRATIS (*i*) tribuendum esse arbitratur. Verum nulla non harum opinationum suis laborat difficultatibus, uti & illa, qvam nemo vel somniavit adhuc, licet haud minus, ac priores dictæ, probabilis, qvæ svadet, a compresso distractove nervo frontali per actionem musculorum bulbi valide convulsorum ejusmodi amauroses conseqvi posse; quandoqvidem externæ ejusdem læsiones idem, ut paulo post (*k*) videbimus, efficiunt. Nam qvantum ad nervi optici compressionem a convulsis oculi musculis attinet, non abs re id NOOTNAGEL (*l*), aut potius Præceptor ejus RICHTERUS, controvertit, siqvidem „ oculi bulbus non semper fixum teneat „ locum, & ægrotus qvoqve post cataractæ extractionem, omnibus tamen oculi „ musculis spastice constrictis, lucem percipiat „. VIEUSSENII vero sententiam

(*h*) Vide §. 29. c).
(*i*) Sect. 3. aph. 25.
(*k*) Vide §. 47. b).
(*l*) Diss. cit. §. 11.

iis ſaltem adverſari notat „ qvi in hiſce partibus tenſionem, irritabilitatem vel ſenſibilitatem non ſtatuunt „. Et ſane univerſis huc uſqve allatis opinionibus nonnullæ ſuperius datarum obſervationum haud reſpondent. Etenim in ESCHENBACHII puero cum præter amauroſin ſurditas qvoqve ab opiſthotono eſt relicta, qvamvis circum nervos acuſticos nulli annuli moderatores, nulli muſculi, nulla filamenta ſeu nervea ſeu membranacea, qveis velut vinculis conſtringi poſſent, reperiantur. Qvod idem ratiocinium ad VATSONI caſum accommodare licet. Porro in HILDANI (*m*) ruſtico, KRAMERI (*n*) puella, GERBEZII moniali, HAGENDORNII pellione, SCHULTZIIqve matrona, haud niſi ſublata epilepſia, velut per metaſtaſin qvamdam amauroſis contigit, & reverſis convulſionibus GERBEZII moniali viſus qvoqve eſt reverſus, contra qvam ex id genus hypotheſibus ſperari potuiſſet; cum qveis ne illud qvidem ſatis componi poteſt, qvod nonnullis ceſſante jam convulſione cœcitas lento paſſu obrepere inceperit, velut in HEISTERI puella noven-

(*m*) Vide §. 39. d).
(*n*) Ibidem b).

ni. Longe itaqve veri eſt ſimilius, amauroſes a convulſionibus profectas infarctui vaſorum encephali, præſertim ad organon viſus pertinentium, deberi; qvod & conjuncta ejusmodi amauroſi ſymptomata (ut vertigo, ſurditas, memoria læſa, &c.), & curatio per vacuationes, revulſiones, derivationes, &c. tueri videntur.

§. 41.

13. DOLORES *atroces* variarum partium perinde ſæpenumero amauroſin poſt ſe trahunt. Spaſmodicæ ſunt ut plurimum indolis; qvandoqvidem in manifeſtas haud raro convulſiones erumpunt: proinde in modo amauroſin producendi cum convulſionibus conveniunt. Cumqve de capitis doloribus inter ſymptomata (*o*) ſatis ſuperqve actum fuerit; hic reliqvarum partium dolores amauroſin accerſentes videndi ſunt: cujusmodi eſt

a) *Odontalgia* ſæva, poſt qvam HEISTERUS (*p*) in adoleſcente ruſtico ad 19 annos nato perfectam lævi oculi amauroſin obſervavit, Væ Se tamen in pede, purgante

(*o*) Vide §. 19.
(*p*) l. c. 1. Band No 150.

drastico, nervino collyrio, aliisqve internis profligatam.

b) *Colica*, a qva amaurosin sustinuere HELLWIGII (*q*) monachus, HILDESII (*r*) femina, puella MORI (*s*), NEBELII (*t*) centurio, bini ægri RAYGERI (*u*), vir SCHROECKII (*x*), juvenisqve TREWII (*y*). Perinde apud H. SMETIUM (*z*) mulier „ ex vehementia iliaci circum & sub-
„ ter umbilicum doloris in visus obscuratio-
„ nem tantam devoluta est, ut neutro ocu-
„ lorum ne lucem qvidem cernere posset
„ per integrum triduum. Idem cœcitatis
„ vitium ex simili iliaco affectu duobus ali-
„ is... pugili, nec non ... famulo post ac-
„ cidisse meminit, qvamvis non tam diu
„ permaneret... Famulus ex iliaci crucia-
„ tus acerbitate ante auroram neutro oculo-
„ rum qvidqvam cernere potuit, & paulo
„ post epilepsiam passus est, qva finita, sum-

(*q*) Vide §. 97.
(*r*) Vide §. 104
(*s*) Vide §. 68.
(*t*) Vide §. 97.
(*u*) Vide §§. 36. b). 111
(*x*) Vide §. 97.
(*y*) Vide §. 83.
(*z*) l. c. p. m. 546.

„ ptisqve pilulis evacuatus viſum ... recu-
„ peravit „ (*a*). Haud ſecius C. M. ADOLPHUS (*b*) virum 40 annis majorem vidit, e doloribus renalis calculi ſeu colica nephritica atrociſſima utroqve oculo cœcum, nullo exterius conſpicuo vitio, maloqve ad omnia remedia contumaci. Nonnunqvam vero dolorum vehementia in manifeſtas erumpit convulſiones, ac tum demum viſu orbat. Velut apud F. PLATERUM (*c*) „ ex colico do-
„ lore qvædam convulſionibus correpta vi-
„ ſum omnem amiſit adeo, ut admotum lu-
„ men oculis apertis intueretur vel ſcintil-
„ lam ſplendoris ſe videre negans. Poſt tri-
„ duum iterum viſum recuperavit. Exactis
„ aliqvot annis denuo colicis paſſionibus ob-
„ ruta, & convulſionibus cœca facta, ſed
„ iterum viſum recepit; redeuntibusqve poſt-
„ ea fere qvotannis hiſce affectibus, tan-
„ dem exſtincta eſt. Aliam nobilem poſt co-
„ licos dolores & convulſiones ſimiliter ex-
„ cœcatam vidit; cauſam epithematibus fri-
„ gidis, qvæ fronti ſuæ freqventer appoſita
„ fuiſſe dicebat, imputans. Hæc nullo modo

(*a*) Ibidem p. 550.
(*b*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obſ. 87.
(*c*) l. c. p. m. 104.

„ amplius ab hoc affectu sanari potuit, sed „ ad finem vitæ cœca permansit„. Ita quoqve H. SMETII (*d*) „juvenis robustus, alacer, lanista, ex iliacis malis in capitis dolores, epilepsias, & oculi utriusqve cœcitatem cum magna virium prostratione „ & difficultate mingendi devolutus. Revaluit„. Idem etiam LENTILII (*e*) matrona est experta.

c) *Partus* qvoqve dolores diuturniores huc referri possunt, qvi cum laboriosis nixibus conjuncti facile amaurosin producunt: qvemadmodum HOECHSTETTERI (*f*) parturienti evenisse vidimus.

§. 42.

14. STERNUTATIO crebra vehemens duplici ex capite amaurosin generare valet; est enim & convulsionis genus, & simul vehementissimis nixibus (*g*) peragitur. F. HILDANI (*h*) adolescens, dum ex pacto ster-

(*d*) l. c. p. m. 549.
(*e*) Vide §. 76.
(*f*) Vide §. 33. b).
(*g*) Ibidem.
(*h*) Vide §. 115.

nutasset centies & amplius, cœcitate pœnas temeritatis luit. Eo vero facilius etiam sternutatio malum creat, si vel ante jam visus erat labefactatus, vel infarctus vasorum aliqva in capitis parte præsto est, v. g. præsente narium catarrho, &c. „ Novimus, inqvit F. DECKERUS (*i*), matronam qvam„ dam jam cœcam, qvæ primo non nisi ocu„ lorum hebetudine levi affligebatur, jussu „ vero... Medici... sternutatoriis bis ter„ ve in hebdomade mane utebatur; unde „ malum in dies ita fuit auctum, ut cœca in„ de facta sit „. Perinde E. HAGENDORNII (*k*) puella e plurium dierum capitis catarrho cum sternutatione crebra ac vehementi visum prorsus amisit.

§. 43.

15. HEMIPLEGIA, a qva juveni WILLISII (*l*) dextrum latus afficiente oculi qvoqve dextri visus interiit; qvemadmodum etiam HENCKELII apud S. SCHAARSCHMIDT (*m*) viro apoplexia in hemiple-

(*i*) Exercit. med. pract. Cap. 1. p. m. 26.
(*k*) l. c. hist. 55.
(*l*) Vide §. 32. b).
(*m*) l. c. No. 21. p. 197.

giam ſiniſtri lateris terminata tacto imperfecta lævi perinde oculi amauroſis cum palpebræ paralyſi accidit: cumqve poſt Væ Sem aliaqve præſidia motus brachio pediqve aliqvatenus redire videretur, æger nihilominus die 3o obiit. Dempto cadaveri cranio dura mater a læva aliqvantum elevata ac liveſcens apparebat, ſub qva, ubi inciſa fuit, copia ſangvinis concreti eſt reperta, qvi omne fere lævum cerebri hemiſphærium uſqve ad baſin cranii tegebat. Vena ophthalmica ſiniſtra admodum erat ampla, ac ſangvine velut farcta, dum dextra prorſus vacua eſſe deprehenderetur. Multo digniorem notatu caſum ad poſteros dedit F. GEACH (*n*): vir pugione circa externum lævi oculi canthum adacto ac trans bulbum verſus cranii baſim ad internum uſqve orbitæ latus impulſo vulneratus corruit illico aphonus, omnium ſenſuum expers, ac toto latere dextro paralyticus factus. Facta mox Væ Se ſangvis eductus non usqveqvaqve cohærebat. Poſtero mane æger ſupinus jacuit oculo dextro patulo cum pupilla admodum diffuſa, citra ullum in eodem viſum, tametſi conclave fuerit lucidum; qvippe qvem æger ad promotam verſus illum

---

(*n*) LESKE l. c. 5. Band No. 58. p. 257.

manum, digitosqve eidem impoſitos non clauſerit: verum tamen interdum convulſivo motu gyrabatur. Lævus oculus ex orbita extruſus, elapſo licet omni humore uſqve adeo tamen tumebat, ut ovum gallinæ æqvarit. Pulſus lentiſſimus erat, debiliſſimusqve, & digito vel leniſſime appreſſo non ſentiendus. Calor corporis fuit naturalis, exceptis paralyticis membris, qvæ prorſus cærulea rigebant frigida. Nec Væ So vel minimam ſenſationem, nec veſicantia, licet aliqvot dies adhærentia, ullum dolorem excitarunt. Paralyticæ partes inſenſiles perpetuo erant ſudore viſcido coopertæ. Æger nec inqvietus fuit, nec anxius; omnesqve naturæ vires fere prorſus videbantur abolitæ, ſolis majoribus vaſis ac viſceribus motum vitamqve ſuſtentantibus: abdominis qvoqve functiones admodum erant labefactatæ; ſiqvidem nec mitia nec draſtica cathartica alvum movebant, neqve etiam complura data enemata excernebantur. Lotium plerumqve guttatim tantum prodibat, interdum tamen copioſe erumpebat. Auditus etiam admodum fuit imminutus, ægro jacente comatoſo & inſenſili; nihilominus tamen tracto brachio vel agitato corpore vel iterata inclamatione linguam exerere juſſus os late aperiebat, apertumqve (procul dubio ſui illico oblitus) diu te-

nebat, in qvo lingvam retractam tremulamqve videre fuit. Hocce in ſtatu inſenſilis æger jacuit plenis 5 hebdomadis, ingeſta aliqva cum aviditate glutiens, qvin tamen vel cibos diſcerneret, vel ab iisdem recrearetur. Poſtmodo vero maxilla cœpit fieri minus mobilis, ut ægro ſuapte bibere non valenti potus fuerit inſtillandus: hypochondria ſimul dura & intenta facta cum alvo nulla arte referenda. Tandem ſanis in membris copioſa ſubito miliaria erupere; atqve ex hoc tempore æger liberius perſpirare cœpit, obſeqventiore facta maxilla: urinæ debita copia prodibat, & jam lenia qvoqve cathartica prompte agebant: hypochondria mollita ſubſedere. Materia etiam ex oculo profluens, hactenus valde acris, meliorem induit indolem, uberiorqve obtenta. Oculo dextro motus viſusqve rediit priſtinus, & æger ſua ex inſenſilitate expergefactus magis ſui compos erat ac ſentiens; breviqve poſt e lecto in ſellam citra defatigationem effatu dignam transferri poterat. Paralyticæ partes fortiter aceto ac ſinapi perfricabantur, ægroqve ter qvotidie dabatur ſeqvens bolus in ſero ſinapino

℞.

℞. ♁ Valerian. ℈ß
Castor. Russic. gr. jv.
Spec. diambr. gr. iij.
Syr. Croci q. s.

Jam ante qvotidie tumori & inflammationi admovebatur cataplasma e semella cum lacte, & propter aphoniam gargarisma e thymo ac sinapi imperatum. Ubi primum emendari æger manifeste cœpit, prehendebatur subitis insultibus cachinnationis citra febrem, subinde tamen eorum in locum tacitus tantum aliqvamdiu Sardonio risu tenebatur. Ambulaturus exercebat motus eorum instar, qvi chorea S. VITI laborant, cum hebetudine, unum pedem prompte projiciens, altero cum tremore post se tracto. Appetitus nunc prorsus naturalis vigebat cum somno sanorum instar ac reficiente: auditus acutus erat; sed inter loqvendum syllabas non rite segregabat. Motus qvoqve brachio ac femori paralytico sensim revertebatur. Interea a tempore inflicti vulneris ad emendationis usqve statum sui impos omniumqve rerum erat inscius; ac tametsi ex oculo varia magna frusta & crustæ abscesserint, suppuratione ubertim procedente, partium tamen magnitudo cum inflammatione haud prius minuebatur, qvam fotus adstringens e fol. ros. rubr. c. vino Lusitanico suisset adhibitus, qvo laxis

R

partibus ita tonus rediit, ut palpebræ oculum læſum protegere poſſent. Deniqve amborum etiam oculorum amauroſes hemiplegia inducere eſt obſervata. I. I. WEPFERI (o) Antiſtes 63 annorum gracilis ac pallida poſt ternos vertiginis inſultus in hemiplegiam lateris dextri incidens utroqve ſimul oculo capta eſt: periit etiam loqvela, at non vox ipſa. Veſperi vehementiſſime vomuit, primum cibum, tum mucum, bilis nihil, citra ullum capitis dolorem. Duravit cœcitas triduum, 4o die lævo oculo viſus rediit, dextro vero non niſi poſt annum, durante nempe tamdiu hemiplegia; qvam ubi menſe toleraſſet, pharyngis qvoqve paralyſis acceſſit, ut ſola duriora deglutire valeret, nulla vero liqvida, qvæ omnia per nares regurgitabant; mollia qvoqve per ½ annum deglutire haud poterat, ac poſtea levem etiam ob cauſam laryngi aliqvid ingeſtorum illabebatur, ſicqve hærentia faucibus cum impetu ejicere cogebatur. Durante pharyngis paralyſi faucium inſpectarum pars dimidia albicabat. Novem poſt hemiplegiam annis tertianam vernam 13 hebdomadum ſuſtinuit. Inde in cachexiam prolapſa diuturnam, 24to

(o) l. c. Obſ. 170.

anno poſt, qvam hemiplegia deſiiſſet, adhuc ita viſum auditumque habuit diſparem, ut dextro e latere melius videret audiretqve, qvam e ſiniſtro.

§. 44.

16. OPHTHALMIA ob majorem vaſorum retinæ & optico nervo contiguorum infarctum ſæpenumero amauroſim efficit. „ Sæ„ pe fit, inqvit H. BOERHAAVE (*p*), ut „ gravedine laboremus, id eſt inflammatio„ ne membranæ... pituitariæ, unde ab ar„ teriis intumeſcentibus comprimitur nervus „ olfactorius, ut nullus adſit olfactus: eo„ dem modo hoc fit in nervo optico, ubi „ arteriæ huic nervo tributæ inflammatæ „ comprimunt ita filamenta nervi optici, ut „ facultas viſus deleatur „. Hinc RICHTERUS (*q*) „ ophthalmiam (ait) vehemen„ tem pertinaciſſimam creare amauroſin ex„ pertus ſum. Viro 40 annor. cataracta, „ qvam ante 10 annos optimo cum ſucceſ„ ſu deprimi ſibi paſſus erat, ſubito fortui„ toqve aſcendit iterum, & per pupillam in „ cameram anteriorem prolabitur, & pau-

(*p*) l. c. §. 111.
(*q*) Obſ. chir. l. c. C. 5. p. 75. ſq.

„ lo poſt vehementem oculi inflammatio-
„ nem parit, qvæ, cum non aderat, qvi
„ inciſa cornea extrahere lentem audebat,
„ per 5 hebdomades ægrum eadem vehe-
„ mentia excruciabat. Tandem ad me ve-
„ nit. Extracta lente ophthalmia qvidem
„ evanuit; perditam autem durante ophthal-
„ mia hujus oculi videndi facultatem æger
„ non recuperavit „. I. LANZONI (*r*) vir 38 annor. poſt ſævam dyſenteriam adſtringentibus male repreſſam incidit in dolores articulorum, qveis litu anodyno perinde diſcuſſis paucos poſt dies ſucceſſit ophthalmia dolorifica in immedicabilem deſinens cœcitatem. Perinde F. HOFFMANNI (*s*) matrona 49 annor. ſemper ſana, niſi qvod a teneris ſpirandi qvadam anguſtia laborarit, variis interea moleſtiis ac refrigerationibus expoſita, biennio menſes anomalos mox largos mox trimeſtri ſuppreſſos experta, demum eosdem prorſus amiſit: unde ſæpius ophthalmiam nacta eſt; qvæ cum poſtremum gravior cum dolore pungente dextrum primum, tum lævum qvoqve oculum corripuiſſet, ſupervenit etiam pupillæ dilatatio cum imminutione viſus paulatim ita aucta, ut ægra nihil demum diſcer-

(*r*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 10. Obſ. 87.
(*s*) Conſ. & reſp. med. Cent. 1. Caſu 44.

neret. Doloribus poſtea cedentibus inflammatio non penitus deſiit, & lens cryſtallina dextra juſto albidior evaſit, in ſiniſtro autem oculo nil niſi pupilla dilatata cum humoribus conturbatis obſervabatur. Incaſſum adverſus hæc mala pugnatum Væ Sbus pedis brachiiqve, veſicantibus, fonticulis in brachio ac nucha, pediluviis, collyriis, ſacculis diſcutientibus, catharticis, ☿libus, ſudoriferis, millepedibus cum cinnab. nat. nec non Spadanis aqvis, malo non tam cedente, qvam potius ingraveſcente. Ita & ejusdem (*t*) vir 57 annor. cholericus, robuſtus, ſemperqve ſanus, cum 9 abhinc annis e graviter contuſo a lapſu capite bihorio poſt ſubito ingenti viſus obſcuratione cum crebris animi defectionibus, ac ipſa demum apoplexia correptus, ſecta vena, frictionibus, nervinis nuchæ capitiqve admotis, internoqve reſolventium uſu, prorſus iterum convaluiſſet: attamen manſit impoſterum doloribus capitis, vertigini, nebulæ oculorum, ſuſurro aurium, aliisqve capitis affectionibus, & ophthalmiis, præſertim oculi ſiniſtri, obnoxius. Lapſis 4 annis lævi oculi ophthalmia denuo laborans, iterqve traha aperta ſævo in frigore faciens, ita

(*t*) Ibidem Caſu 48.

hunc oculum læsit, ut corruptis humoribus visus ab hoc tempore in eodem penitus perierit, nullo licet conspicuo extrinsecus vitio, præter paulo ampliorem & ad lucem immobilem pupillam, coloremqve ejus gryseo lucidiorem. Tum vero dexter gravius affici & crebra caligine tentari cœpit, qvæ modo per aliqvot horas modo tota die durare svevit, & semper vel somno vel pediluviis vel suffitu capitis cum resinis catarrhalibus & herbis nervinis solvebatur. Postremo cum denuo sæva hyeme caput frigori in itinere exposuisset, dextri oculi ophthalmiam contraxit insignem cum vertigine, dolore capitis, nebula & caligine, &c. Discussa intra paucos dies ophthalmia visus eo evasit obscurior cum dolore intra orbitam, somno haud amplius, ut ante, depellendus: imo obscuritas hæc postmodo periodice affligebat, ita ut tribus circiter post somnum finitum horis ingruens ad 3am meridianam usqve duraret, visu vesperi facto acutissimo. Nec semper jam, ut ante, vertigine, nec tam gravi saltem, si adesset, stipabatur. Vere tamen appropinqvante usu nervinorum, catharticorum, pediluviorum, ac vesicantium æger tantum profecit, ut malum non nisi meridiano tempore 3. 5. horas levissime afflixerit. Potis deniqve intra 4 hebdoma-

des aqvarum Aquisgranenſium 130 lagenis ſeu ℔ 650, & qvod alvum non moverent ſolæ, ſale Epſonienſi acuatis, ſæpe inde qvotidie dejiciens a capitis doloribus eſt liberatus, caligine viſus nihilominus qvotidie, ſed ſine ſymptomatibus recurrente, & ſemper per gradus invaleſcente, ut ſæpius nec homines diſcernere æger qviret. Oculus veſperi lucem non ferebat; æſtate cœloqve ſereno melius habebat, deterius vero hyeme, aereqve vappido ac nebuloſo. Notatu dignum eſt, ab axungia gallinæ oculo ſub acceſſione mali inſtillata oborto ardore ac pruritu caliginem ad aliqvot horas, qvin aliqvoties plane fuiſſe diſcuſſam viſu effecto clariſſimo. Cetera æger per omnia recte valebat, niſi qvod fluxus hæmorrhoidum jam a 4 annis ſtato tempore recurreret. Varia ex arte præſidia fuerunt adhibita ad morbum tollendum; ſed ſine ſucceſſu. In idem mali genus ex ophthalmia & matrona DONATI (*u*), & BLOCHII (*x*) femina, & vir VELSCHII (*y*) inciderunt. Sed non eſt hic prætereunda ſingularis plane mydriaſeos cum

---

(*u*) Vide §. 16. c).
(*x*) Vide §. 37. e).
(*y*) Vide §. 94. b).

amaurosi incipiente ex inflammatione oculi historia, qvæ Cl. DEMOURSIO (z) debetur: matrona ad 60 annos nata, temperamenti sicci ac biliosi, finiente Augusto incidit in ophthalmiam oculi lævi, qvæ celeriter in palpebras, malas, frontem, tempora, & capillatam ejusdem lateris partem propagabatur. Materia inflammationem causans formabat sqvammas, omnesqve ab ea humectatæ partes erant admodum sensiles ac dolentes. Ægra fuit lucis impatiens. Qui status trimestre ferme duravit, licet complures Væ Ses factæ, depurantia, lenientia, aliaqve in erysipelate sqvammoso usitata fuerint data. Idcirco ægra omnia demum nauseavit remedia, usqve dum a Cl. SYLVA & DEMOURS opem flagitasset. Inspectis tum oculis dexter cum inculpatus esset, sinistri inflammatio insignis adhuc, etsi minor qvam ante, fuit. Frons intense rubebat cum dolore punctorio, in qva identidem pustulæ efflorescebant rubella & acerrima aqva refertæ; qvæ acrimonia in omnibus præsto erat humoribus, præprimis autem in saliva, lacrymis, ac sebo glandularum MEIBOMII.

(z) Zusætze zu den medic. Versuch. u. Bemerk. der Edinb. Gesellsch. 6 Band No. 2. p. 201. sqq.

Palpebræ, maxime ſuperior, inflammatæ erant cum tumore ac dolore. Fluxus lacrymarum parcus erat, ſed acer, & materia effluens per noctem indureſcebat. Cornea transparens leve, longum, exiliſſimumqve inſtar fiſſuræ, ac bifidum ulcus, circiter ad lineam infra corneæ centrum, habebat, qvod ab uno corneæ margine ad alterum uſqve transverſim excurrens illam in duas inæqvales partes dirimebat, qvodqve ortum ſuum dubio procul acrimoniæ lacrymarum ſomni tempore intra tharſos per lineam illam corneæ verſus puncta lacrymalia decurrentium debebat. Vicinæ huic ulceri partes parumper erant opacæ, qvin tamen vel viſui multum officerent, vel impedirent, qvo minus humorum intra bulbum conditio obſervari potuerit; ſiqvidem plus qvam dimidium corneæ nativam retinuit pelluciditatem, radiosqve lucis inoffenſe transmittebat. Pupilla fuit admodum ampla, immobilis, parumper oblonga, axe minimo transverſim ſito, ac 3 circ. lineas æqvante, id qvod ex iridis ambitu facile potuit æſtimari, qvi ubi latiſſimus fuit, lineam excedere haud videbatur, adeo ut annulus uveæ calculo PETITI 5 lineas metiens, & iris e qvovis ejusdem latere lineam efficiens, tantum 3 adhuc in obliqva pupillæ diametro habuerit. Axis ſeu diameter pu-

pillæ normalis major erat, ac pupilla ſic ſatis oblonga eſſe videbatur, cujus figuram parumper irregularem reddebat angulus qvidam in imo lateris tempora reſpicientis obſervabilis. Pone pupillam albida qvædam opacitas, in ſano oculo non videnda, conſpiciebatur, magis vero e latere qvam e directo inſpicienti notabilis, qvæ a minus peritis facile pro cataractæ rudimento haberi potuiſſet, cum tamen nil aliud fuerit, qvam ipſius mydriaſeos effectus, qvippe qvem nimia lucis radiorum trans diffuſam pupillam illabentium, ac pro parte a bulbi tunicis in pupillam denuo reflexorum, copia, non vero opacitas ulla, produxerit. Viſus oculi læſi fuit imminutus; qvandoqvidem matrona non niſi mediocres magnitudines diſcernebat (v. g. majores in libri titulo literas vix noſcebat, minores vero, aut extra opticum axem ſitas nullatenus), omniaqve objecta ope hujus oculi tanqvam velo cooperta ipſi apparebant, ac multo etiam minora, qvam dum ſano illa oculo, cujus pupilla erat arctior, contuebatur: qvod phænomenon PLATERUS (*a*), PLEMPIUS (*b*), aliiqve, velut optices le-

(*a*) Prax. med. L. 1. C. 7.
(*b*) Ophthalm. L. 4. probl. 59.

gibus adverſum pro Veterum, ſcilicet ORIBASII (c), AETII (d), ÆGINETÆ (e), &c. commento perperam habuere. Idcirco ob ſuperſtitem adhuc oculi vicinarumqve partium inflammationem V^æ S^e in pede (9^a jam hoc in morbo) facta datum ſerum lactis principio ad ℥ viij cum ſyr. fumar. ℥ ij & ſal. ſedat. gr. v. & qvotidie interdiu aqvæ Paſſi pinta j. bibenda imperata. Inde aucta ſenſim ſeri lactis doſis ad congios ſex, ac loco aqvæ Paſſi data ptiſana tenuis ligni Guajaci; qvorum ſub uſu toto curationis tempore identidem leniter purgabatur. Extrinſecus initio fotus admoti e decoct. emoll. & lenient. jam ex aqva communi, jam e decocto capit. papav. interdum e tenui infuſo rad. althææ vel ſem. cydon. qvorum uſus pro gradu ſtimuli continuabatur vel intermittebatur, eorumqve in locum adhibebantur fotus diſcutientes e decocto hyſſopi, qveis ſenſim magis diſcutientia & adſtringentia addebantur, ut fl. chamom. meliloti, 🜄, & roſæ rubræ. Porro qvotidie oculo inſtillabatur gutta j. collyrii e mucil. cydon. & cruſta ſac-

(c) Synopſ. L. 8. C. 44.
(d) Tetrab. 2. Serm. 2. Cap. 52.
(e) L. 3. C. 22.

chari dicta parati. Ab his ulcus corneæ brevi coaluit, ſed minimo regiminis vitio, qvod uberiorem ſolito fluxum lacrimarum cauſavit, facillime recruduit, qvoad uſqve humorum acrimonia diuturno depurantium uſu & idoneo regimine fuiſſet temperata; tuncqve ulceris in loco nil niſi levis nubecula ſuperfuit, viſui nullatenus officiens, ut qvæ infra centrum corneæ, non vero e directo pupillæ, ſita fuerit. Symptomata ſenſim minuebantur, breviqve poſt Væ Sem pupilla minus abnormis, minusqve diffuſa facta, mobilitatis aliqvid nacta, ſed ovalis adhuc manſit cum diametro dupla pupillæ ſanæ. Objecta jam auctiora ac magis diſtincta apparebant, ut jam literas minutiores ægra conſpicaretur. Prout palpebrarum tumor oculiqve inflammatio cedebant, qvod bimeſtri curatione eſt prorſus obtentum, ita iridi qvoqve redibat motus uſqve ad priſtinam demum figuram & arctitudinem, cum qveis priſtinus qvoqve viſus eſt reverſus.

§. 45.

17. CATARRHUS *capitis* qvam facile amauroſin producere qveat, vaſorum pituitariæ membranæ infarctorum cum vicinitas ad vaſa oculi, tum origo cum hiſce commu-

nis haud difficulter perſvadebunt, qvemadmodum & ſternutationum catarrho familiarium freqventia; velut in puella HAGENDORNII (*f*) vidimus, & cujus e BLOCHIO (g) dedimus hiſtoriam. Sic etiam HOFFMANNI (*h*) puero catarrhus amauroſim attulit. Eo vero promptius etiam e catarrho amauroſis enaſcitur, ſi ipſo hoc tempore oculorum acies fixiore minutorum objectorum aſpectu fatigatur, ut LENTILII (*i*) mulier eſt experta.

§. 46.

18. FEBRES autem cum ſæpenumero, tum non ſine magna varietate amauroſin progignunt. Neqve vero acutæ tantum continuæ, ſed intermittentes etiam viſui inſidiantur, idqve duplici utræqve lædendi modo, nimirum aut vehementi humorum per vaſa, præſertim encephali, motu, aut maleferiata metaſtaſi ad vaſa oculi facta. Et ut ab intermittentibus ordiar, neminem latet, qvan-

---

(*f*) Vide §. 42.
(*g*) Vide §. 37. e).
(*h*) Vide §. 104.
(*i*) Vide §. 60. No. 5. d).

tæ ſæpe illarum in paroxyſmis circulationis turbæ caput ægrotantis circumagant, dum vaſa nimio humorum impetu diſtenduntur. Si ergo maxima vis morbi in vaſa oculorum converſa fuerit, cœcitatem inducat, oportet, nonniſi ſedatis his turbis deſituram. B. TIMÆI (k) ,, Princeps febri ſemitertiana graviſ-
,, ſime decumbens ingruente paroxyſmo de
,, caligine qvadam oculorum & obverſanti-
,, bus corpuſculis, mox de viſus diminutio-
,, ne, paulo poſt de omnimoda ejusdem ab-
,, olitione qverebatur adeo, ut nec adſtan-
,, tes nec alia objecta dignoſcere poſſet: re-
,, mittente febri ſenſim remittebat oculorum
,, obtenebratio, eadem recurrente recurre-
,, bat & viſus diminutio, ſubſeqvensqve ejus-
,, dem abolitio ,,. Similem qvoqve caſum notavit BERTRAND (l). Porro F. I. MOLITOR (m) febris 3næ caſtrenſis epidemicæ paroxyſmos deſcribens ,, habuimus (inqvit)
,, etiam, ſed paucos, qvorum paroxyſmus in
,, reliqvis ſanorum caligine oculorum inci-

(k) l. c. caſu 27.

(l) Vide §. 90.

(m) Diſſ. de febre cont. malig. & intermitt. 3na, utraqve ad Rhenum A. 1734. & 1735. epid. & caſtrenſi. Apud HALLER Diſp. ad morb. hiſt. & cur. fac. T. 5. No 165. p. 270.

„ piebat, paroxyſmum 3 vel 4 horas ante-„ greſſa, & uſqve ad eruptionem ſudoris in „ fine paroxyſmi durante„. Idem eſt in febre intermittente larvata amauroſin mentiente, qvalem STÖRCK (*n*) in viro obſervavit, & cujus proſapiæ forte complures illarum ſunt, qvarum ſuperius (*o*) meminimus. Contra vero dum præpoſtera medicatione vel ſuapte natura elangveſcunt, haud raro accidit, ut erroneo naturæ conatu morbi vis in vaſa oculi commigret, ibiqve infarctu eorum facto nervum viſorium premendo viſum peſſumdet. Sic „ vir 33 annor. cholericus, „ macilentus, narrat G. E. HERMANNUS (*p*), febre continua corripiebatur, in „ 3nam intermittentem tandem transeunte. „ Utitur... vomitorio, & 3a intercalari die „ purgante, a quibus paroxyſmorum ſentiebat diminutionem. Ad hos ſopiendos eſ-„ ſentiam amaram cum Caſcarillæ mixtam „ ſumit. Inde levamen habens æger iter „ facit cœlo pluvioſo. Rediens veſpere, & „ ira excandeſcens, noctem inqvietam cum

(*n*) Vide §. 90.

(*o*) Vide §. 11. No 2. b).

(*p*) Primit. Phyſ. med. Polon. Vol. 2. Obſ. 22. p. 269. ſq.

„ frigore & æstu alternante patitur, mane
„ torpor adest corporis totius, & recidivam
„ metuens infirmus rogat Medicum, ut fu-
„ get febrim imminentem ... Hic... por-
„ rigit ℥em ex chinæ ℈j & arcano duplica-
„ to. Reiterat hanc dosin m. & v. per 6
„ dies: patiens qvavis die hora 9a matuti-
„ na, prævia levi pandiculatione & oscita-
„ tione, rigore leni cum intensissimo calore
„ & vehementibus capitis doloribus prehen-
„ debatur. His duo afflictus symptomatibus
„ incidit in abdominis intumescentiam, vi-
„ sus imminutionem, & tandem plenariam
„ cœcitatem. . . . Præmissis universalibus,
„ laxantibus, apozemate LINDANI, ene-
„ matibus, pediluviis, frictiones abdominis
„ svadebam, conjunctis deobstruentibus:
„ qvibus per 10 dies adhibitis febris iterum
„ 3na provocabatur, post cujus 2um acces-
„ sum remittebat occœcatio, & tandem per-
„ fecto restituebatur visui. .. Febrim ℥j cor-
„ ticis profligabam „. Perinde A. LEBEN-
WALDII (*q*) rusticus adolescens 15 annor.
deglutita vix chartula certis characteribus
insignita, qvam venator ad 3nam fugandam
ei præbuit, tantopere caput sensit inde tur-

(*q*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 2. obs. 106.

bari,

bari, ut sono in eo oborto crediderit campanas totius orbis ab se audiri. Postea statim successit immedicabilis cœcitas, nullo conspicuo in oculis vitio præter ampliores nigrioresqve solito pupillas. Binos qvoqve id genus casus memorat I. G. SEGNITZ, unum de sodali ferrario (r), alterum (s) de puella, cui a præpostero usu ☿is antifebrilis suppressa febre intermittente visus penitus interiit. Ita etiam civi cuipiam visum, qvem a suppressa 4na post 14 dies ex integro amisit, idoneis remediis aliqvatenus iterum restituit WOGAU (t). Sic & ALISCHERI (u) ancillæ, & COLLINI (x) juveni cortice sublata 3na visum sustulit. Mirabilis autem illa 3na fuit, qvæ ab O. ACRELLIO (y) observata ex indole sua amaurosim in discessu suo relinqvebat. Grassabatur hæc ab autumno 1743 ad insèqventem usqve æstatem in hy-

(r) BÜCHNER l. c. Maji Cl. 4. art. 8. p. 1066. (Vide §. 101.

(s) Ibidem p. 1067.

(t) Annal. Vratisl. Tent. 25. A. 1723. Sept. Cl. 4. art. 10. p. 323.

(u) Vide §. 70.

(x) Vide §. 79. A.

(y) Act. Svec. Vol. 11. Trim. 4to artic. 6.

bernis Gallorum ad Rhenum circum Lauterburgum ac Fortluis. Menſibus Septembri & Octobri ſebris hæc perfectum 3næ typum habuit, lenibusqve potiſſimum remediis abſqve Cortice curabatur citra ullum alium ſubſecutum morbum, ne in iis qvidem, qvi recidivam etiam experti ſunt. At ſub finem Octobris ac in hyemem porro febris fiebat vehementior, ſuoqve in diſceſſu relinqvebat amauroſin, adeo ut Cl. Obſervator e numeroſis noſocomii ſui Lauterburgenſis ægris nullum meminerit, qvi a febre illa diſcedente læſum viſum non fuiſſet expertus: uno alii, alii utroqve oculo capti erant: paucis tantum obſcurior obtigit viſus. Februario ſi 3na poſt 3. 4. inſultum ſine Cortice deſiit, ægri vel uno vel utroqve oculo fiebant cœci: qvi vero cortice ſunt uſi, ubi poſt 9. 10. pluresve acceſſiones febris cedebat, perinde viſu privabantur, recidivamqve citra viſus emendationem patiebantur. Qvi autem defectu medelæ febrem per 2. 3. menſes abſqve induciis ſuſtinuere, noſocomio dein recepti exhauſti qvidem omnino fuere, at viſu pollebant: his cortex nihil opis ferebat, ſed ſub uſu ſalium, amarorum, & infuſorum febris verſus ver ſenſim cedebat, nil niſi caliginem qvamdam & gravem auditum poſt ſe relinqvens; qvod utrumqve tamen auctis viribus evanuit. Fru-

ſtra ad expuguandam hanc amauroſin fuere veſicantia nuchæ brachiisve admota, Væ So in pede, cathartica matura, emetica alternis diebus, diſcutientia externa: a qveis nonnullis febris, non viſus, rediit. Haud ſecius ſe res continuis in febribus habet, qvæ qva vehementia ſua, qva infelici metaſtaſi viſum eripiunt. Ad vehementiam ſane pertinet exemplum I. G. H. KRAMERI (z): „ puerum (ait ille) vidi... qvi primis, ex „ qvo variolæ eruperunt, diebus ita oculis „ apertis & ſaniſſimis cœcutiebat, ut ne lu- „ men qvidem naſo admotum viſu, qvin alia „ taceam objecta, non ſine maximo paren- „ tum terrore perciperet: facile tamen ac „ ſua ſponte, poſtqvam variolæ vim ſuam „ penitus exeruerunt, in integrum reſtituti „ viſus copia ei facta eſt „. Neqve etiam aliud ſunt muſcæ illæ & culices, & id genus alia, qvæ in augmento febris acutæ deliraturi præ oculis captant, qvam optica illa incipientis amauroſeos idola (*a*). At vero longe freqventior in declinatione harum febrium ex metaſtaſi accidit amauroſis, cujus etiam ſolius meminit AETIUS (*b*), & SWIE-

(z) Commerc. Nor. T. 2. A. 1732. hebd. 42. No. (9. p 334.
(*a*) Vide §. 16. b).
(*b*) Vide §. 118. No. 2.

TENIUS (*c*) „ amaurosin veram, surditatem, post morbos acutos vidit, qvæ nullis postea cesserunt remediis „. Haud semper qvidem ita pertinaces sunt hæ metastases, nisi ubi materia morbi vasis impetuosissime impacta omnem eorum tonum abolevit; secus si placidius iis a morbo debilioribus influxit, ubi illa refectis viribus tonum pristinum recuperant, impactam sibi materiam denuo excutiunt. Utriusqve eventus occurrent exempla, inter qvæ & illa pertinent, ubi variis præsidiis hic ipse infarctus metastaticus est expugnatus, ut in casibus CRAMERI (*d*), FRANCI (*e*), HAENII (*f*), PÜSCHELII (*g*), SCHMUCKERI (*h*), RICHTERI (*i*), qvaternis STÖRCKII (*k*), senis COLLINI (*l*), binisqve WEPFERI (*m*); dum aliis in ægris eadem hæc fuerunt pror-

(*c*) Comment. in aph. BOERH. ad §. 1060. art. 10.
(*d*) Vide §. 115.
(*e*) Vide §. 60. No 5. e)
(*f*) Vide §. 9. No 2. c).
(*g*) Vide. §. 66. No 5.
(*h*) Vide §. 66. No 2. & hist. 7.
(*i*) Vide §. 66. No 2
(*k*) Vide §. 72 No 2. §§. 84. 112. a).
(*l*) Vide §. 79. C. D. E. F. G. I.
(*m*) Vide §. 115.

ſus inutilia. Sic W. GABELCHOVERI (*n*) anus 60 annor. cum ante 3 annos e peſte cum intenſa cephalalgia unius oculi viſum amiſiſſet, biennio poſt a graviſſimis capitis doloribus renatis altero qvoqve oculo capta eſt, cœcitate omnem remediorum adhibitorum vim eludente. Ab ardente febre viſum amiſſum in viro ac femina mediæ ætatis obſervavit GEISLERO (*o*) teſte GÜNZIUS. Perinde R. LENTILII (*p*) matrona circ. 56 annor. e metaſtaſi febris malignæ in ſubitam ac omnimodam incidit cœcitatem, crebrisqve tandem biennio poſt ſuccubuit convulſionibus epilepticis. Memoria qvoqve dignum caſum obſervavit A. de HAEN (*q*): „ vir (narrat ille) robuſtiſſimus, ſaniſſimus „ menſe Majo 1757 pleuritide ruri afficitur, „ negligiturqve. Suppuratione nata natura „ metaſtaſin ad crura molitur, moxqve in- „ de reverſa deponit materiem ad organa „ auditus & viſus, ita ut cophoſis & amau- „ roſis gignerentur, pectore nunc interim „ liberrimo, ſaniſſimo. Surditas emendaba-

---

(*n*) Cur. & obſ. med. Cent. 2. cur. 81.

(*o*) l. c. p. 15. ſq.

(*p*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 5. append. p. 131.

(*q*) Rat. med. P. 3. C. 6. No 26. p. m. 228. ſqq.

„ tur multum, gutta vero ſerena utrumqve „ oculum occupans pertinaciter perſeveravit. Trimeſtri ſpatio jam cœcus conſilium „ petiturus me acceſſit, rogatusqve num „ in noſocomio manere vellet, lubens annuit, variaqve ex arte tentandi occaſionem integro, qvo hic fuit, anno dedit. „ Corpus primo copioſo lacte, aqva, melle, „ ſale polychreſto, ut optimis antipuicis, „ replevi, viſurus, num forte mobilis reddita per bonas vitæ vires mala morbi materies aliam metaſtaſin, aut etiam, qvod „ melius, evacuationem moliretur. Cum „ hoc minime ſuccederet, phlegmagoga „ pharmaca ☿io animata dabantur, qvibus „ curata fere ſurditas & vertigo; at vero „ gutta ſerena ne hilum qvidem. Igitur dedi „ ☿ſubl. corr. cum ♌ frumenti, qvod continuare non potui, cum hic vir ex pauciſſimis „ illis unus eſſet, qvibus ☿us ſic datus ptyaliſmum crearet. Ptyaliſmum moderavi, „ non ſuppreſſi, neſcius qvid forte illa humorum fuſio præſtaret boni? At ruente „ demum violenter ad alvum ☿io ejus uſui „ plane debui ſuperſedere. Qvatuor tamen „ menſibus eo fuerat uſus, niſi qvod aliqvoties, ne ſalivatio copioſior fieret, eum „ omitteret. Memor felicis curæ ope millepedarum in inſpiſſatione humorum in

„ oculo aliqvoties obſervatæ dedi ipſi qvotidie 6 drachmas millepedarum vini ℥vj emulſarum, & expreſſarum, idqve per 4 continuos menſes. Altero menſe, qvo millepedis utebetur, ſua rediit pupillis amiſſa mobilitas, nulla ceterum in viſu emendatio. Cucurbitæ ſiccæ ad tempora frontemqve fruſtra qvoqve qvotidie adhibebantur. Qvarto menſe uſus millepedarum, vis electrina ſimul qvotidie eſt adhibita. Qvum vero cura hæc qvadrimeſtris uſu caſſa deprehenderetur, denuo ☿ii ſublimati tentamen ipſe æger petivit. Jam illud ſuſtinuit egregie ſine ptyaliſmo aut dyſenteria. Trimeſtri igitur ſpatio & ☿um aſſumpſit, & vim electrinam ſuſtinuit, & cucurbitas circum oculos adplicitas habuit, ſine ullo levamine. Unde medicinæ pertæſus ad uxorem liberosqve, alias ſaniſſimus, rediit „. Interdum vero memoratæ metaſtaſes non ſimplicem tantum vaſorum creant infarctum, verum etiam tumores nulla arte abolendos, a qveis optici nervi comprimuntur; velut in pyrotechna MUZELLII (r) eſt obſervatum.

(r) Vide §. 31. b).

§. 47.

19. VIS *externa* vaſis nervisve illata, ut contuſio, vulnus, irritatio, &c. præſertim vero

a) *Capitis* læſiones, a qveis vel humores in cranio effunduntur, opticosqve nervos comprimunt (*s*), vel commotione encephali ea cerebri pars ſubſidit, a qva ſtamina nervorum opticorum proficiſcuntur, ſicqve liqvidi pro iisdem ſecretioni evadit inepta, vel vaſorum ophthalmicorum infarctus inſignis, qvalem in oculis mactatorum boum eſt videre, efficitur, &c. His accedit, qvod raro hæc infortunia terroris ſimul iræve ſint expertia (*t*). Subinde vero ab id genus injuriis ſola cranii oſſa vitium contrahunt, dum vel deprimuntur vel finduntur, vel fragmenta dimittunt, ſicqve ſubjectum cerebrum premendo nervos etiam opticos premunt. „ Plurimos hujusmodi ægrotos „ tractandos habuit I. L. SCHMUCKE- „ RUS (*u*): eorum pupillæ erant longe am- „ pliſſimæ, citra ullam luminis oculis ad-

(*s*) Vide §. 32.
(*t*) Vide §. 34.
(*u*) l. c. p. 11. ſq.

„ moti ſenſationem. At cauſa premente „ ſublata continuo viſum recuperarunt „. AMATI (*x*) „ mulier, cui maritus in facie „ colaphum impegit, illico eodem die utri- „ usqve oculi viſionem amiſit, cœca nam- „ qve evaſit, nulla in oculis habita ma- „ cula aut nubecula, læſioneve aliqva; pu- „ ri namqve cernebantur oculi. Qvæ non „ diu poſtea ſurdaſtra qvoqve eſt facta & fa- „ tua, cum qvibus lunaris purgatio huic de- „ perdita eſt. Agitur jam annus, qvod mu- „ lier hæc nata annos 27 malum & infortu- „ nium hoc patiatur „. Sic etiam apud ZACUTUM (*y*) „ exorta inter 2 milites ri- „ xa, qvum alter manu ferreis chirothecis „ armata alterum ex alto alapa percuſſiſſet, „ paucis poſt horis percuſſus omnino cœcus „ eſt factus „. Perinde „ qvi, referente „ AMATO (*z*), vulnus mirum in ſyncipite „ habuit... ſanitati fuit reſtitutus; oculi ta- „ men viſionem, ejus maxime, qvi vulnus „ reſpiciebat, in totum perdidit... Puer „ vero... ex ingenti in capite vulnere ac- „ cepto utriuſqve oculi lumen amiſit; ta-

(*x*) Cur. med. Cent. 7. cur. 44.

(*y*) Prax. med. admir. L. 1. Obſ. 48.

(*z*) l. c. curat. 32.

„ men ipſe recte valenterqve hodie habet, „ abſqve tamen utriusqve oculi viſione „. G. F. BERNERI (*a*) Judæus 34 annor. lævo oculo iam inde a pueritia ſenſim occœcatus, ne veneri, qvam diu acriterqve ſectabatur, ulterius litare poſſet, omnem a Patre occaſionem præciſam tam ægre tulit, ut inſanientis inſtar caput ad parietem allideret: unde ex oculi dextri ſani cantho ſangvis primum erupit, porro etiam amauroſis eundem exſtinxit uſqve adeo, ut objectum non niſi obliqve ad oculi latera ſitum obſcure perciperet, nullatenus vero e directo pupillæ locatum. „ CAMILLO TERZANO, teſte M. „ DONATO (*b*), cum vulnus in capite oc„ cipitium verſus inflictum fuiſſet ad cerebri „ ſubſtantiam pertingens, ſtatim ac dere„ pente, & ſi non cecidiſſet, viſum peni„ tus amiſit, nec dum exiguam videndi fa„ cultatem toto ægrotationis tempore, qvo „ decubuit per plures dies, nam mortuus „ eſt, recuperare valuit „ ... „ Senem „ qvoqve præ manibus habuimus, inqvit „ P. FORESTUS (*c*), qvi ex ligno in caput

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obſ. 70.
(*b*) l. c. L. 2. C. 11. p. 76.
(*c*) l. c. L. 10. Obſ. 89.

„ percuſſo... viſum ejus oculi omnino ami-
„ ſerit „. Ita & I. D. GEIERI (*d*) „ mi-
„ les ... pone aures circa ſuturam ſpuriam
„ transverſim globo vulnerabatur adeo, ut
„ ambobus oculis ob læſionem nervi optici
„ privaretur... Convaluit, ac mendicat „.
I. D. GOHLII (*e*) juvenis ſutor, ex qvo ab alio palma manus vehementer in vertice capitis ictus eſt, perpetuo obtuſum capitis dolorem viſusqve obſcurationem mediis in laboribus patiebatur, oculis externa forma illæſis. Haud ſecius F. HILDANI (*f*) puer ad 8 annos habens, cum ex arbore in terram lapſus tria vulnera circa ſuturæ ſagittalis cum lambdoidea concurſum, illæſo tamen cranio, paſſus mox indigeſtos cibos vomuiſſet cum omnium ſenſuum abolitione, vulneraqve barbitonſor, nulla univerſalis œconomiæ animalis in curando habita ratione, intra 3 hebdomadas ad cicatricem perduxiſſet, ubi æger pedetentim a febre, vomitu, &c. qvæ principio erant gravia, immunis factus ad rationem rediit, compertum eſt, ipſum viſu eſſe deſtitutum, nullo licet extrinſecus

---

(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 2 ann. 8. obſ. 139.
(*e*) l. c. β. p. 22.
(*f*) l. c. Obſ. 8.

conſpicuo in oculis vitio. Apud P. LENTILIUM (g) podagricus ad 46 annos natus de tabulato aliqvando delapſus, capite contuſo cum fere mortuus eſſet ſublatus ſub convaleſcentiæ tempus per 36 horas amauroſin ſuſtinuit. I. MEEK'REN (h) meminit Eqvitis 36 annor. qvi anno ante depreſſo ex lapſu oſſe parietali incidit in immedicabilem amauroſin cum gravi & continua hemicrania mirabilis prorſus indolis; dextro in latere nunqvam in locum affectum, ſed in capitis partem jam ſuperiorem, jam poſticam, jam in malas, aures, crotaphitem, indeqve in dentes illa ſæviebat, intacta læva capitis parte. Purgato corpore cum veſicans raſo capiti admotum eandem 6. 8ve diebus, dein arteriotome II aliis diebus, tum evulſio dentis ocularis ſuperioris dolentis rurſus 9 diebus, porro fonticulus pone aurem excitatus toto menſe, ſopiviſſent, poſtremo facta loci e lapſu depreſſi trepanatione dolor momento deſiit, haud amplius reverſus; at cœcitas manſit. P. SALMUTHI (i) hypparchus ex eqvo in caput præceps actus loqvelam, au-

(g) Eteodr. med. pract. p. 699. ſq.
(h) Obſ. med. chir. Cap. 9. p. 56.
(i) l. c. Obſ. 42.

ditum ac visum utriusqve oculi amisit. Adhibita medela, aliqvot post diebus interdum epileptice convellebatur; unde loqvela cum auditu rediit: tandem & amaurosis remittebat sensim, ita ut æger literas lecturus primo haud aliter eas potuerit conspicari, qvam si alte supra oculos illas efferret; donec pedetentim deorsum magis magisqve demissas pristina demum consvetudine legere valuisset. Mulierem sexagenariam narrat I. STORCH (*k*) e lapsu retrogrado aphonam factam vomuisse cum capitis, illæsi licet, perturbatione, dolore, somnolentia, stuporeqve. Adhibitis remediis die 5° imminutus sopor: die 30mo dorsi artuumqve dolor aderat cum obscuratione visus, redeunte ratione. Ulteriore medela rediit qvidem sanitas, at visus prorsus fere periit, ut anus obvios nonnisi e loqvela agnosceret. Deniqve B. TIMAEI (*l*) puer sexennis e mensa in terram lapsus, capitiqve sic aliqvamdiu insistens in 4am inde hebdomadem capite graviter doluit. Initio 4tæ hebdomadis torpidus mortui instar clausis jacuit oculis. Postea de omnimoda cœcitate qverebatur, nullo in oculis conspicuo vi-

---

(*k*) l. c. ann. 7. Julii Cl. 5. No 3. p. 196.
(*l*) Epist. & consf. med. L. I. Epist. 27.

tio; cibum avidius solito appetebat, oblatum a parentibus respuens, viribus sic satis constantibus. Tristiorem exitum habuit amaurosis a vi externa „ in duobus, qvos „ ipsi, inqvit I. B. MORGAGNIUS (*m*), „ vidimus ... Utriqve gravis ictus capitis „ causa fuerat malorum omnium: utriqve „ postea, nec post breve temporis interval- „ lum, repente amaurosis utriusqve oculi... „ acciderat, utriqve demum ... vitæ finem „ attulit... apoplexia. Alter is eqves fuit, „ cujus ab una eademqve paralysi in diver- „ sis dextri sinistriqve oculi musculis effectus „ oppositos explicavi (*n*): ... alter Medi- „ cus „. Hucqvoqve pertinent BARTHOLINI (*o*) ac SCHROECKII (*p*) virgines, ægri CÆSALPINI (*q*), DURETI (*r*), GUERINI (*s*), FORESTIqve (*t*), feminæ GÜNZII (*u*), & HEISTERI (*x*), matrona

(*m*) De sedib. & caus. morb. Epist. 13. No 12.
(*n*) Vide §. 25. a).
(*o*) Vide §. 60. No. 4. d).
(*p*) Vide §. 32.
(*q*) Vide §. 29. e).
(*r*) Vide §. 95. c).
(*s*) Vide §. 32.
(*t*) Vide §. 9. No 2. c).
(*u*) Vide §. 63.
(*x*) Vide §. 73.

HEYI (*y*), ipſe GRASSIUS (*z*), ISENFLAMMII (*a*) mendicus, anus & virgo KALTSCHMIEDII (*b*), Eqves MORGAGNII (*c*), RIBEI (*d*) ruricola, ac vidua STOCKII (*e*), &c.

b) *Oculi*, *palpebrarum*, *ſuperciliorum* læſiones, contuſiones, vulnera. Validi ictus in bulbum oculi poſſunt, ut recte GUERIN (*f*) obſervat, retinam comprimendo deſtruere, vel infarctum vaſorum ophthalmicorum & ophthalmiam inducere, ſicqve amauroſin cauſare. Sic apud F. HILDANUM (g) Aulicus baculo ad oculum ſiniſtrum percuſſus illico viſum amiſit cum dolore, leviqve adnatæ inflammatione. Hacce ſublata cœcitas manſit; qvam qvidem Auctor ab uvea rupta, ſpiſſatoqve humore aqveo repetit: verum tamen cum hæc fidem vix mereantur, utpote conjecturæ, propius verum eſt, illam vel

---

(*y*) Vide §. 106.
(*z*) Vide §. 87.
(*a*) Vide §. 29. e).
(*b*) Vide §. 32. & §. 70.
(*c*) Vide §. 25. a).
(*d*) Vide §. 63.
(*e*) Vide §. 120.
(*f*) l. c. p. 237.
(*g*) l. c. Obſ. 15.

a contusis nervi frontalis (de qvo paulo post) propaginibus, vel compressa valide retina, fuisse momento effectam. Studiosi meminit I. M. HOFFMANNUS (*h*), qvi globulo coriaceo pugionis cuspidi præfixo validum ictum punctim in oculo dextro perpessus continuo ophthalmiam nactus est, qva remediis discussa visus qvotidie usqve adeo minuebatur, ut demum nec legere nec adstantes noscere posset, aliqvali luculæ sensatione tantum superstite, nullo tamen in oculo conspicuo vitio. Sed catharticorum, nervinorum, & discutientium usu pristinum recuperavit visum. I. MUYS (*i*) narrat militi 24 annor. grandinis plumbeæ globulo e sclopeto in oculum lævum exploso vulnus iridem inter & pupillam fuisse illatum, globulo ipsum in bulbum se penetrante: unde elapsus mox non paucus humor aqveus, usqvedum vulnus materia qvædam fibrosa candicans (retinæ forte lacinia avulsa) obturasset. Successit gravis ophthalmia cum tumore, livore iridis, ardenti lacrymarum profluvio, continuoqve dolore, qvem caput postrorsum reclinatum mitigabat, augebat vero pronum.

(*h*) Misc. nat. cur. Cent. 10. Obs. 28.

(*i*) Prax. chir. ration. Dec. 1. Obs. 7.

Viſus prorſus periit, & dexter oculus, etſi non vulneratus, perinde rubebat cum dolore. Facta utriqve medela dexter brevi eſt percuratus, lævo per 4 menſes ob intemperantiam ægri laborante, uſqve dum ſanationem admiſiſſet, viſu tamen ejusdem nullatenus reverſo. In idem ferme recidit obſervatio a B. MAUCHARTO (*k*) literis mandata, & utriqve huic etiam ſimilem prope caſum R. LENTILIUS (*l*) obſervavit, nempe in juvenis 20 annor. oculum dextrum circa canthum externum globulus plumbeus e ſclopeto eliſus, copioſum elicuit ſangvinem, oculus vehementer intumuit, bulbo undiqve ſangvine ſuffuſo. Globulus educi neqviit; deceſſit nihilominus adhibita medela tumor; relicta poſt ſe ejus oculi amauroſi, cujus bulbus minor evaſit altero; cornea fere ſublata; eo loci, ubi globulus trajecerat, ortum tuberculum lentem exæqvans; pupilla illibata manſit. Idem interdum ex ophthalmia operationi cataractæ ſuperveniente accidit. Sic „ mihi inqvit C. E. ESCHEN„ BACH (*m*), obveniebat cataracta... ocu-

(*k*) l. c. Caſ. 3.

(*l*) Eteodr. med. pract. A. 1709. p. 640. ſq.

(*m*) l. c. Obſ. 6. Schol. p. 49.

„ lum dextrum occupans, nullis aliis morbis „ juncta, adeoqve pro circumstantiarum ratione, qvoad observatu erat possibile, „ optima. Hanc acu latiori... deposui, nec „ in operatione ipsa ullus error fuit commissus. Immediate autem postea ægrota, „ qvæ sensibilioris erat structuræ, ictu acus, „ dum bulbum intrabat, vehementer & citra opinionem præconceptam perterrita, „ non modo oculi inflammationem maximam, „ sed & morbum incurrebat gravissimum, „ 6 fere menses durantem, vehementissimis spasmis abdomen præsertim infestantibus, cephalalgia atroci, vigiliis, deliriis, „ febre graviori remittente ac fere continua, &c. stipatum: qvem qvidem superabat tandem, ast oculi usus, non obstantibus remediis debitis externe & interne „ admotis, penitus perierat „. Verum citra omnem etiam inflammationem a læsionibus dictis visus minui vel prorsus perire observatur. F. HOFFMANNI (*n*) viro id accidit, & apud F. PLATERUM (*o*) „ ex ictu „ pilæ parvæ in oculum cujusdam inter ludendum magna vi delatæ ita fuit pupilla

---

(*n*) Vide §. 16. d)
(*o*) Obs. med. L. 1. p. m. 105.

„ ejus jam diu dilatata, ut totus circulus „ iridis fere niger appareret: dicebat ſe paulo minus in illo oculo, qvam altero, poſſe cernere. Et, qvod mirum erat, aliqvando rurſum pupilla ad decentem & eam, qvalis in ſano oculo erat, anguſtiam redibat „. E qvibus ſatis liqvet, ſolos hic nervos fuiſſe affectos; ac tametſi non admodum ſemper concipi qveat, qvi ab id genus ictibus oculi retina illæſis aliis bulbi partibus magnopere lædatur, ſatis tamen eſt, ſi nervus frontalis inſignem ab iis vim patiatur: id qvod e ſuperciliorum frontisqve, ubi decurrit, vulneribus abunde pateſcit, qvæ ſola haud raro amauroſin poſt ſe trahunt. Obſervatum id jam HIPPOCRATI (*p*) fuit, dicenti: „ in vulneribus, qvæ in ſupercilium, aut paulo altius, inferuntur, viſus acies obtunditur, & qvo vulnus recentius eſt, eo magis vident; inveteraſcente autem aut tardante cicatrice magis obtundi ſolet „. Erudita hanc in rem diſſertatio Z. PLATNERI (*q*) lectu digna eſt. Nos aliqva ſolummodo exempla adjiciemus. I. B. MORGAGNII (*r*) „ primaria... matrona

(*p*) Coacor. No 510.

(*q*) Progr. de vulnerib. ſuperciliis illatis. Lipſ. 1741.

(*r*) Epiſt. anat. 18. No 7.

„ ... rheda, qva vehebatur, inverſa, diſ-
„ fractisqve ſpecularibus fragmentis cryſtal-
„ linis ... fuerat duobus circa oculum ſini-
„ ſtrum locis, utroqve tamen extra orbitam,
„ vulnerata, altero, qvem minus attenden-
„ dum cenſuit, brevi ab angulo minore in-
„ tervallo, altero autem ſupra ſupercilium
„ verſus angulum majorem, qvem nimirum
„ ipſum eſſe locum animadvertit, qva refle-
„ xæ ex orbita ad frontem repunt ejus pro-
„ pagines rami, qvo de ramo ſermo eſt.
„ Qvid ergo acciderat? Cum reliqvo toto
„ capite, atqve adeo corpore, nullum præ-
„ terea vulnus eſſet, læſio nulla, cumqve
„ nihil in cornea tunica, nihil intra ocu-
„ lum vitii appareret, hic nihilominus con-
„ tinuo videndi vim uſqve adeo amiſerat,
„ vix ut matrona incertam aliqvam & con-
„ fuſam lucem, ſi fax oculo objiceretur,
„ vel poſt qvadrageſimum perciperet diem „.
Sic etiam P. de MARCHETTIS (s) narrat militem ſica gravi ac latiſſima in fronte, ſecto ejus oſſe & cerebro, fere uſqve ad oculos vulneratum derepente cœcum evaſiſſe, qvod malum vulneri etiam curato ſuperfuit, qvamqvam pupilla luci diſſima appareret. Idem

(s) Sylloge Obſ. med. chir. Obſ. 17.

etiam accidit in vulneribus canthorum & palpebrarum; qvippe qvo ſurculi nervi frontalis excurrunt, docente I. F. MECKELIO (*t*). Sic conſulebatur A. M. VALSALVA, teſte MORGAGNIO (*u*) „ pro nobili viro, qvi „ inter venandum ex reſiliente in oculum „ plumbeo globulo qvam exiguo leve vulnuſculum, & vix conjunctivam lacerans tunicam retulerat, & viſum tamen, interiore nulla apparente læſione, fere ſtatim „ amiſerat „. Huic ſimillimum vix non caſum refert A. G. RICHTERUS (*x*): „ venator „ qvidam minoribus globulis ex ſclopeto projectis vulneratur, qvorum unus per ſuperiorem palpebram in orbitam penetrat, & „ qvamvis neqve bulbum oculi læderet, neqve inflammationem aut dolorem excitaret, poſt aliqvod tamen tempus amauroſin perfectam peperit. Haud diu poſt, „ cum globulum hunc exſcindi non pateretur, in alio qvoqve oculo integerrimo, „ hucuſqve omnis vitii experte, ſponte amauroſis orta eſt „. Huc utiqve etiam

(*t*) Abhandl. von einer ungewöhnl. Erweiterung des Herzens, &c.

(*u*) l. c.

(*x*) l. c. p. 77. ſq.

RIEDLINI (y) æger percuſſione virgultorum viſu orbatus pertinet. Eo vero facilius ab id genus læſionibus viſus perit, ſi cum commotione cerebri, vel extravaſatione, vel ophthalmia graviore ſimul ſunt conjunctæ, ut qvæ ſe ſolæ etiam amauroſin producant. Sic E. CAMERARII (z) venator 24 annor. in interno oculi lævi cantho punctim læſus, ut cuſpis pugionis curvaretur, vulnus qvidem exiguum in confinio palpebræ ſuperioris habuit, conſpicuum tamen ac valde dolorificum, ſeqvente tumore totiusqve lateris dextri paralyſi, & perfecta ſiniſtri oculi amauroſi, dextri vero gravi amblyopia. Medela adhibita etſi cetera mala utcunqve propulſata fuerint, memoria tamen admodum vacillavit, amauroſisqve oculi lævi ad omnia manſit immedicabilis, dum interea dextri oculi viſus acrior, qvam utriusqve ſimul prius erat, evaſit. GEACHII (a) caſus ab [illegible] haud multum abludit. Perinde F. H[illegible]NI (b) matrona juvenis & euſarca [illegible] ſupercilium dextrum icta, cute ad [illegible]qve

(y) Vide §. 115

(z) Miſc. nat. cur. Cent. 3. Obſ. 55.

(a) Vide §. 43.

(b) l. c. Cent. 3. Obſ. 9.

penetrata, citra ullum oſſis vitium, exanimis qvaſi corruens indigeſta vomuit. Vulnere cito ſanato continuus capitis, præcipue parte dextra, dolor ſuperfuit, & intra bimeſtre oculi dextri viſus plane periit, nullo licet conſpicuo in eodem vitio. Vertigo ſæpe aderat, & interdum epileptici inſultus. Octennio ita exacto crevit capitis dolor, acceſſere convulſiones brachiorum cum ſummis doloribus, præſertim humido in frigore, ut demum lectum deſerere neqviret. Per intervalla etiam fœtorem qvemdam e cerebro percipiebat ad lypothymiam uſqve. Ejusdem (*c*) puſio qvadrimulus bacillo ex una parte acuto in ſiniſtram palpebram ſuperiorem projecto vulneratus, mox corruit, indigeſta vomens, & nihil triduo alimentorum retinere valens. Vulnus, ablato fruſtulo pingvedinis ex illo proſtante, intra 15 dies citra immiſſas turundas perſanatum. Viſus autem illius oculi periit ſine ullo prorſus ſeu in bulbo ſeu muſculis obſervabili vitio. Ejusdem (*d*) ſartori pugionis acie vulnus ad radicem frontis in ipſam fere palpebram ſuperiorem ſiniſtram procurrens inflictum graviſſimum totius capi-

(*c*) Ibidem Cent. 6. Obſ. 6.
(*d*) Ibidem Cent. 5. Obſ. 17.

tis dolorem creavit, cum tanto oculi tumore, ut ad ovi magnitudinem ex orbita prominerer, cum feqvente corneæ ruptura, humorumqve effluxu. Ceteris malis curatis vifus non rediit. Ita etiam W. A. KELLNERI (*e*) homo ex vehementi pali ictu mox fupra oculum dextrum ufqve ad cranium vulneratus illico totius oculi tumorem cum infigni bulbi inflammatione patiebatur, nihilqve nifi fuperne lucem a tenebris aliqvatenus difcernere poterat. Curato vulneri fuperfuit cœcitas absqve confpicuo oculi vitio. Idem qvoqve feminæ GÜNZII apud GEISLERUM (*f*) e vulnere frontis prope oculum accidit. Mirum vero eft, in HEERII (*g*) ægris nihil fimile eveniffe.

c) *Narium*, ob viciniam vaforum & nervorum confenfum, qvem WHYTII (*h*) experimentum pulchre commonftrat, nempe pueri comatofi pupilla nativam habens magnitudinem applicato Ω ⊖* ad nares confeftim aperiebatur. Idem qvoqve narium læ-

---

(*e*) Annal. Vratisl. Tent. 36. A. 1726. April. Cl. 4. art. 20. p. 502. fq.

(*f*) Vide §. 63.

(*g*) Vide §. 29. a).

(*h*) Of vital and involuntary Motions p. 130.

ſiones confirmant. Sic G. HANNAEI (*i*) ruſticus adoleſcens 16 annor. culmo ſtraminis caſu in dextram narem impulſo, ibiqve cum ſtrepitu fracto, mox intenſo dolore, totum dein caput pervadente, correptus eſt; qvo tandem ſopito cœpit oculi dextri viſus ex illo tempore minui, donec in perfectam abiit amauroſin.

d) *Colli*, perinde cum ob vaſa communicantia, tum ob nervos compatientes. Sic G. HORSTII (*k*) æger cum ingentem tumorem, cui nattæ nomen, infra nucham 17 annis jam moleſtum auferri ſiviſſet, viſum ſenſim prorſus amiſit.

e) *Nervorum remotiorum* cum oculo conſentientium læſiones vel ſolæ irritationes, præprimis vero nervorum intercoſtalium magnorum. „ Viri eruditi, inqvit A. MONRO (*l*), inter ſe non conveniunt, qvalem nervus intercoſtalis habet originem, „ dum alii ejus communicationem cum ophthalmico negant, alii vero contrarie ſentiunt, ejusqve connexionem cum hocce

(*i*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 6. obſ. 137.
(*k*) Obſ. med. pr. P. 2. L. 4. Obſ. 14.
(*l*) Tract. tres de nervis, motu cord. & ductu thorac. p. m. 150. nota (a).

„ adfirmant (m) : ſic qvoqve WINSLO-
„ WUS (n) aperte dicit, ophthalmicum per
„ unam alteramve fibrillam cum ſexti paris
„ nervo & cum nervo intercoſtali commu-
„ nicare. De ejus tamen origine diſputare
„ animus hic non eſt, neqve plura, qvæ a
„ qvibusdam pro incerto habentur, profer-
„ re, qvatenus ad obſervationem noſtram
„ non multum faciunt, & nobis, uti ex
„ PETITI (o) obſervationibus conſtat, ſuf-
„ ficit, maximum inter intercoſtalem & il-
„ los nervos dari conſenſum, qvi oculo,
„ uveæ, atqve pupillæ inſerviunt, ſed tan-
„ tum ea, qvæ majoris utilitatis ſunt, ad-
„ notabo. Scilicet diu obſervavi, in illis
„ hominibus pupillam eſſe dilatatam, qvi
„ vermibus vel materia pituitoſa acri pun-
„ gente in ventriculo vel inteſtinis laborant,
„ & ſi non pro ſigno pathognomico, ſaltem
„ pro ſyndrome ſive ſymptomatum concur-
„ ſu & optima diagnoſi haberi poteſt. Ex
„ experimentis enim PETITI (p) memo-
„ ratis ſupra adnotatum eſt, poſt nervi in-
„ tercoſtalis abſciſſionem in animalibus vi-

(m) Ibidem p. 119. notis a. b.
(n) Traitè de Nerfs §. 34.
(o) Mem. de l' Acad. des Sc. 1727.
(p) l. c.

„ vis factam oculos obscurari, splendorem „ suum amittere, lacrymare, cavos fieri, „ globumqve oculi diminui, pupillam angu- „ stari, coarctari, &c. Deniqve intercosta- „ lem ramos conjunctivæ, glandulis oculo- „ rum, & fibris uveæ, qvibus pupilla dila- „ tatur, suppeditare „. Idcirco etiam VAN DER WIELII (q) casum huc, ob nervum intercostalem læsum, referendum censet (r). Huc proinde bini HURBOTII casus, qvos N. BLEGNY (s) memoriæ prodidit, sunt referendi, nempe chirurgus infantem, qui calculo pineam nucem æqvante in urethra hærente vexabatur, ab imminentis ischuriæ metu liberaturus cum sectionem administrasset, operationem peractam cœcitas continuo secuta est, sponte tamen post 6 dies evanescens. Idem chirurgus alium puerum eadem operatione ab eodem malo vindicaturus, cum catheterem urethræ inderet, sola hac irritatione amaurosin accivit. Dilata itaqve sectio, & visu postridie reverso instituta sine ullo symptomate oborto, quamvis lapis adeo fuerit urethræ impactus, ut non sine magno conatu potuerit eximi.

(q) Vide §. 39. a).
(r) l. c. p. m. 180. nota (a).
(s) l. c. ann. 2. Junii Obs. 8.

§. 48.

20. VERMES *primarum viarum.* Verminoſis pupillam diffundi cum A. MONRO (*t*) tum I. VAN DEN BOSCH (*u*), aliiqve obſervarunt; imo plenam interdum amauroſin iisdem contingere fidelia docent obſervata, qvorſum pertinet RICHTERI (*x*) qvadrimulus puer, nec non qvadrimula G. HANNAEI (*y*), & puer præſertim a vermibus enectus, qvem ſecuit DAQVIN (*z*), nec non puella VANDERMONDII (*a*). Idem qvoqve eventus fuit in HIRSCHELII (*b*) muliere. Satis autem liqvet, amauroſim verminoſam irritatis nervis intercoſtalibus magnis, cum oculorum nervis conſentientibus, deberi.

§. 49.

21. CACHEXIAE topicæ, vel adultæ, vel perperam tractatæ, ita ut nulla peculiari

---

(*t*) Vide §. præc. e).
(*u*) Hiſt. conſt. epid. vermin. Cap. 4. Sect. 7. p. 329.
(*x*) Vide §. 86.
(*y*) Vide §. 71.
(*z*) ROUX l. c. T. 34. p. 153. ſqq.
(*a*) Vide §. 71.
(*b*) Vide §. 68.

indigeant caufa procatarактica, fed fe ipfis fufficiant ad amaurofin producendam: qvod fit, dum vaforum infarctum infignem efficiunt, vel extravafationem in cranio, vel offa vitiant, vel deniqve nervos cum oculo confentientes immitius vellicant, &c. Hujusmodi eft cachexia

a) *Serofa*, qvæ e vafis facile egreditur, & encephalon inundando nervos comprimit opticos. Atqve huc, opinor, pertinet obfervatio E. HAGENDORNII (*c*) de campanarum fufore circ. 18 annor. e potu frigidæ poft incalefcentiam, & fumo metallorum in fufione, anafarca paffo cum tanto afthmate, ut vix loqvi & ambulare, præfertim per acclivia, poffet. Fruftra variis ultra 1½ annum tentatis demum obfcurari ei vifus repente cœpit, pofteroqve die cœcus evafit, accedente fimul tanta pectoris oppreffione, ut 3tio die convulfus exfpiraverit.

b) *Lenta* mucofa vel atrabiliaria. &c. hypochondria præfertim opplens (*d*), quali pictor RICHTERI (*e*) laboravit. Neqve immerito huc accenfenda videtur hiftoria

(*c*) l. c. hift. 57.
(*d*) Vide §. 27. No 6.
(*e*) Vide §. 52. No 1.

D. SPILENBERGERI (*f*) prorſus ſingularis: „ mortuus (ait ille) paucis abhinc annis „ Leutſchoviæ Senator ſere 60 annor. nomine IOS. ALAUDA, hypochondriaca „ affectione diu afflictus, qui cancri (nihil „ minus) malitia oppreſſus varia ſenſit ſymptomata. Triennio ante obitum in digitis pedum loco ungvium ſuccreverunt horrendæ, curvæ, denſæ, & plumbei coloris ungulæ inſtar cornu, e qvo pectines „ elaborantur, & qvidem tam abunde augmenta ſumpſerunt, ut cogeretur eosdem „ ſingulis octiduis forcipe demetere. Tota ſubſtantia cutis degeneravit in planta „ pedis in naturalem ungulam cornu taurino æmulam, qvam pariter poſt pediluvia „ crebrius abradere coactus fuit, ne nimia „ cutis durities ingreſſum impediret, eumqve dolorificum efficeret. Poſtmodum „ exulcerati ungves in manibus per abſceſſum perierunt, & ſimilia monſtra corneæ „ ſoliditatis ſuccreverunt, niſi qvod cutis „ in vola manus mollior permanſerit. Et „ hoc malum ad vitæ finem perſeveravit. „ Paralyſin poſtmodum dextri lateris ſenſit, „ ſed ſenſus motusqve reſtitutus fuit. Suc-

(*f*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 2. Obſ. 70.

„ cessit demum falsa imaginatio, qvasi ab „ uxore ipsi venenum pararetur, qvæ phan„ tasia tam vehemens, ut per ½ annum præ„ sentiam uxoris nullo modo toleraverit, „ imo eandem nudis pedibus, ne strepitum „ ederet, clam incedentem qvasi odoraretur. Defecit postmodum paulatim visus, „ auditus vero factus intensior, tandem in „ momento cœcitas supervenit. Cum per„ actis universalibus, aliisqve revellentibus, „ nuchæ vesicatorium applicaretur, nulla „ vesica fuit excitata, sed subjecta caro tan„ tum intumuit, & subpunicea facta est. Post „ triduum vesiculæ hydatides, multo sero „ stillantes, coloris plumbei, collum infe„ derunt, qvibus cum balneator improvide „ empl. maturativum impossuisset per aliqvot „ dies, tumor incrementa sumpsit non mi„ nus, qvam humorum effluvium, primum „ serositates, post purulentam fœtentemqve „ fundens materiam. Durante hujus mate„ riæ egressu a phantasia depravata libera„ tus... visus autem non rediit. Tandem „ qvod ab improvido chirurgo cancer ille „ ingens plumbeus & gibbosus cito suppura„ tus fuisset, intra 3 septimanas e vivorum „ numero sublatus fuit „.

c) *Purulenta* acrior facta & nervum qvemcunqve cum oculo consentientem velli-

cans, vel ipſos opticos erodens aut mole ſua comprimens. Sic „ qvandoqve phthiſicis „ evenit cœcitas, qvi vel 4 ante mortem die- „ bus ita vegeti valentesqve fuerant, ut „ erecti ad menſam ſederent, neqve mini- „ mam ciborum partem conſumpſiſſent: cu- „ jus rei bis obſervatæ teſtis oculatus „ I. G. H. KRAMERUS (g) fuit. J. STORCH (h) meminit viri 50 annis majoris, abſceſſu circa nervorum opticorum (ut videbatur) confinia laborantis, qvi 2. 3ve diebus apertis oculis prorſus nihil videbat, donec abſceſſu in faucibus rupto, multoqve pure per os rejecto, viſum recuperaſſet. Mihi angina purulenta fuiſſe videtur, qvæ, qvamdiu vomica eſt clauſa, mire ſæpe nervos afficit. Vidit etiam Cl. Auctor binos alios ægros eodem mali genere feliciter defunctos.

d) *Syphilitica*, qvæ variis modis viſu privare poteſt, nempe vel ſteatomata cerebri cauſando, ut in BALLONII (i) viro, vel exoſtoſes nervum opticum comprimentes, teſte BOERHAAVIO (k), vel dum ulcere venereo præmature ſanato materia metaſtati-

---

(g) l. c.
(h) l. c. ann. 3. Maji Cl. 4. No. 7. p. 298.
(i) Vide §. 31. b).
(k) Ibidem.

ce oculi vaſa, vel cerebri, vel os ſphænoides petit, ſicqve vel tumores ibidem, vel abſceſſus acres nervorum opticorum ſubſtantiam erodentes generat, velut in BOTALLI (*l*) qvæſtore, ſartoreqve CONSBRUCHII (*m*), & NEBELII (*n*) viro, nec non HEISTERI (*o*) famulo accidiſſe videtur. O. BORRICHIUS (*p*) refert feminam 40 annis minorem, lue venerea a marito infectam in ulcera faucium incidiſſe, poſt qvæ ▽ª ☿ li omni die illita ac ſanata ſecuta eſt utriuſqve oculi cœcitas nullis remediis expugnabilis. Forte & SPIGELII (*q*) caſus in idem recidit. At poteſtne acrimonia ſyphilitica ſympathicam producere amauroſin? An vero multo potius ad hydatides retinæ, ut SAUVAGES (*r*) credidit, pertinet ZACUTI (*s*) obſervatio? „ Vidimus (inquit ille) robuſtum „ virum, qvi poſtqvam concubuit cum fa„ moſo ſcorto, poſt 3 horas obortis ulcuſ-

(*l*) Vide §. 29. d)
(*m*) Vide §. 74.
(*n*) Ibidem.
(*o*) Ibidem.
(*p*) Act. med. Hafn. Vol. I, Obſ. 76.
(*q*) Vide §. 74.
(*r*) l. c. No 10.
(*s*) l. c. Obſ. 49.

„ culis durisqve tumoribus in capitis parte „ anteriori, ex improviſo cœcus evaſit. „ Huic etſi eſſent alexipharmaca exhibita, „ cauteriumqve in nucha affixum, reſtitui „ tamen haud potuit „.

e) *Plicæ Polonicæ*, de qva ſupra (*t*) jam uberius eſt actum.

CAPUT VI.

PROXIMA CAUSA.

§. 50.

Cauſa amauroſeos proxima varia a variis fuit aſſignata, videlicet

1. *Obſtructio nervorum opticorum* Veteribus receptiſſima erat ſententia, a qva ne L. HEISTERUS (*u*) qvidem fuit alienus, „ ab obſtructione (inqviens) inſtrumento„ rum viſus amauroſis qvoqve fieri poterit; „ ſicut enim humores viſcidi pituitoſi aliis in „ locis nervos obſtruere poſſunt, & paraly„ ſes producere: ita & ſi hi vel in cortica„ li cerebri ſubſtantia, vel in medullari,

(*t*) Vide §. 38. c.)

(*u*) Diſſert. cit. §. 17. p. 35.

„ vel in nervo optico subsistant, obstruunt „ canaliculos, per qvos spiritus animales ad „ retinam fluere solebant „. Obstructionem qvidem isthanc Cl. Vir non ut proximam, sed ut remotam solummodo causam accepit; interea qvacunqve illa demum ratione accipiatur, non dum ita ex observatis, nedum e physiologiæ castæ theorematis, est probata, ut vel veri esse similis cuiqvam videatur. Perspicacissimi sane MORGAGNII (x) calculo caret.

2. *Colliqvatio humoris vitrei.* Hanc ut proximam amauroseos causam primus in medium protulit BRISSEAU (y), forte observatione ROLFINCII (z) inductus: „ qvis „ nigræ cataractæ (ait posterior) hactenus non „ credidit causam obstructionem nervi optici? Attamen in aliqvibus cadaveribus nul„ lam in eo noxam, sed totum vitreum hu„ morem in aqvam resolutum, & crystallini „ nulla vestigia deprehendi „. Hacce procul dubio observatione arrepta BRISSEAU „ gutta serena (inqvit) semper in paralysi „ nervi optici qvæsita perperam fere semper

(x) De sedib. & caus. morb. Epist. 13. No 13.
(y) Tract. de Cataract, &c. p. 213. sqq.
(z) Differt. anat. L. 1. C. 13.

„ a colliqvatione humoris vitrei proficiſci-
„ tur, qvi qvoniam non amplius radios de-
„ bite refringit, efficit, ut imago objecto-
„ rum neqveat in retinam cadere. Haud
„ qvidem inficior paralyſin opticorum ner-
„ vorum contingere poſſe, velut qvotidia-
„ na docet experientia, homines poſt apo-
„ plexiam viſu orbari: interea tamen cau-
„ ſam hanc non ita freqventem eſſe exiſti-
„ mo, ut multis viſa eſt. Qvis enim ſibi
„ perſvaſerit, nervos principes opticos pa-
„ rum admodum e cranio productos paraly-
„ ticos fieri poſſe, qvin & ceteris e medul-
„ la oblongata enatis idem accidat, ac
„ proinde ſubita apoplexia præſto ſit? Er-
„ rori huic occaſionem præbuit oculi amau-
„ rotici ſtatus ſanorum ſimillimus, ut nil ni-
„ ſi obſtructio nervi optici adeſſe poſſe cre-
„ deretur. Qvid ni autem multo etiam fa-
„ cilior conceptu eſt cœcitas a colliqvato
„ vitreo humore, manente ejusdem pellu-
„ ciditate priſtina, qvin propterea oculus
„ affectus ab ſano qvidqvam differre extrin-
„ ſecus videatur? Multa novi exempla hu-
„ moris vitrei prorſus diſſoluti a me reperti,
„ inter qvæ miles erat... 22 annor... Hic
„ aliqvot ante obitum annis... oculi lævi
„ viſum e vehementi ac diuturna fluxione
„ penitus amiſit. In ſectione hujus oculi

„ reperi corneam undiqve opacam, valde
„ albam, ac justo crassiorem; a qva iris
„ firmissime eidem cohærens haud sine labo-
„ re separari potuit. Lens crystallina du-
„ ra & opaca perinde antica sui parte iridi
„ firmiter accrevit, nullaqve intercapedine
„ ad corneam usqve relicta utramqve humo-
„ ris aqvei cameram abolevit, ne gutta
„ qvidem aqvæ ibi reperta. Pupilla usqve
„ adeo fuit contracta, ut nec apicem acus
„ transmitteret. Lente tandem ab uvea &
„ ligamento ciliari sejuncta humor vitreus
„ aqvæ instar fluens illo per aperturam pro
„ parte erupit. Tametsi autem & pupilla
„ fuisset pervia, & cornea pellucida, nec
„ ad hanc iris, nec lens ad uveam accrevis-
„ set, sola præsente lentis opacitate, humo-
„ risqve vitrei colliqvatione, dico depres-
„ sa etiam lente ægrum visu nihilominus
„ fuisse cariturum, tum qvod humor vitreus
„ nullam aliam lentem præsente illa fluidi-
„ tate formare, tum qvod non debite radi-
„ os lucis refringere potuisset. Observavi
„ porro in alio milite 56 annor. cui variolo-
„ sa pustula in infantia oculum dextrum pes-
„ sum dedit, cataractamqve causavit, amau-
„ rosim simul ab humore vitreo colliqvato
„ adfuisse. Deniqve omnes cataractæ vacil-
„ lantes sunt semper cum amaurosi compli-

„ catæ, qvam vitrei humoris colliqvatio cau-
„ ſat. Cum enim ejusmodi in caſu dura &
„ opaca lens non amplius in abolita humo-
„ ris vitrei fovea ſitum tueri poſſit, neqve
„ iſte illam ob colliqvationem ſuſtentare
„ qveat, mirum non eſt, cataractam mo-
„ veri, vacillare, & interdum ſitum muta-
„ re, qvemadmodum id in muliere jam a
„ multis annis ita affecta obſervavi, cui o-
„ culo bene perfricto pupilla prorſus ſe didu-
„ xit nigerrima, qvin vel minimam lucidiſſi-
„ morum objectorum lucem ſenſerit „. Hæc BRISSEAU. Sed hanc ejus opinionem cum HEISTERUS (*a*) tum MORGAGNIUS (*b*) etiam abunde confutarunt. „ Non exiſtimo,
„ (inqvit prior) ſola humoris vitrei in aqvam
„ diſſolutione amauroſin poſſe produci. Con-
„ cedo qvidem hanc diſſolutionem debilio-
„ rem poſſe producere viſum; verum cum
„ experimentis conſtet, humorem vitreum
„ qvidem paulo magis refringere radios,
„ qvam aqva refringit, tamen illa differen-
„ tia tam exigua eſt, ut vix ab accuratiſſi-
„ mis obſervatoribus opticis percipi qve-
„ at (*c*): adeoqve ſola humoris vitrei

(*a*) Diſſ. cit. §. 9. p. 345.

(*b*) Epiſt. anat. 18. No 39.

(*c*) Conf. CARTES. & NEWTON. in Opt. atqve DE LA HIRE in Hiſt. Acad. Reg. A. 1707.

„ diſſolutio perfectam cœcitatem efficere non „ poterit, ſed ſolum viſum debiliorem. Ubi „ vero lens cryſtallina ſimul eſt diſſoluta, „ uti ROLFINCIUS notavit, tunc major „ læſio refractionis in oculo producetur. Hæ „ autem humorum oculi diſſolutiones cum „ non ſine putrefactione aut alia inſigni „ corruptione fieri poſſint, tunicam retinam, „ partem qvippe tenerrimam, & humori „ vitreo proxime adjacentem, ſimul cor- „ rumpi, & ſic amauroſin non proprie ab „ humoris vitrei diſſolutione, ſed præcipue „ propter deſtructionem aut corruptionem „ retinæ aut nervi optici ſimul factam fieri „ exiſtimo „. Neqve etiam tanti eſt, qvod a fluctuante cataracta BRISSEAU argumentum ducit; uam præterqvam qvod, notante HEISTERO (*d*) „ ſimilis... fluctuatio „ ſubinde contingit humore vitreo ſalvo, „ ſed ubi per operationem prægreſſam lens „ a cohæſione fuit ſoluta, & poſt ſuppreſ- „ ſionem denuo fuit elevata (*e*) „ ... „ hac „ ſalva cohæſione qvomodo usqve adeo flu- „ ctuare cryſtallinus poſſit, vitreo qvantum- „ vis diſſoluto, ego qvidem haud ſatis in-

(*d*) Tract. cit. Diſſ. de cataract. §. 86.
(*e*) Ibidem §. 29.

„ telligo „ inqvit MORGAGNIUS (*f*). Accedit, qvod etsi colliquatio humoris vitrei ab ROLFINCIO, BRISSEAU, RICHTERO (*g*), aliisqve (*h*) sit in cœcitate observata, tamen evictum haud sit, utrum a colliqvatione cœcitas vel ab hac illa multo potius repetenda sit, vel ambæ ab una eademqve causa progignantur, præsertim cum in plerisqve his casibus aut cataracta aut aliud bulbi vitium per anatomen fuerit repertum? Multo propius verum est, qvod RICHTERUS (*i*) conjicit, pallorem pupillæ forsitan a memorata colliqvatione proficisci, nisi malis eundem vel cum DEMOURS (*k*) a nimia luce per amplissimam pupillam illabente, aut (qvod vero similius) ab imminuta abolitave pigmenti atri secretione repetere, qva fit, ut radii non sat absorpti ad pupillam reflectantur; nam adversus opinionem DEMOURSII convellendam vel illud est satis, qvod sæpe diffusissima pupilla nigrorem suum splendidum retineat (*l*).

(*f*) l. c.
(*g*) Vide §. 16. c). & RICHTER l. c. p. 67. sq.
(*h*) MORGAGN. l. c. §. 38.
(*i*) l. c.
(*k*) Vide §. 44.
(*l*) Vide §. 17. d).

3. *Paralysis opticorum nervorum*, qvam hodie pene omnes pro causa amauroseos proxima habent: in eo nihilominus discrepant, qvod alii omnem videndi facultatem, ac proinde etiam illius impeditæ causam, in vagina piæ matris & choroidea, alii vero in ipsa nervi substantia reponant. Ego cum id genus controversiis, utpote ad therapiam nil facientibus, lectorem distinere haud soleam, omne hoc illi argumentum apud OEHME (*m*) & Ill. HALLERUM (*n*) ac PRIESTLEYUM (*o*) adeundum relinqvo, uti & qvæ de uveæ paralysi SCHAARSCHMIDT (*p*) erudite disseruit: id unum hic ajo, ne paralysin qvidem nervorum opticorum pro adæqvata causa proxima haberi posse; qvandoqvidem etiam absentia seu nativa, seu violenta per ulcera &c. horum nervorum amaurosin producit, qvam nemo utiqve ad paralysin referet. Ea propter causa proxima ea sit oportet, qvæ ad omnes morbi casus aptari possit. Est nempe

---

(*m*) Diss. cit. §. 2. sqq.
(*n*) Elem. physiol. T. 5.
(*o*) Geschichte der Optik 1 Th. p. 147.
(*p*) l. c. p. m. 192. sq.

4. *Impeditus fluidi nervei in retinam influxus.* Etenim H. BOERHAAVIO (*q*) „ amauroſeos ... cauſa proxima eſt omne „ illud, qvod illæſo adſpectabili bulbo in- „ ſtrumenta facultatis viſus inepta reddit ad „ videndum „. Qvæ ineptitudo neqvit eſſe alia, qvam qvæ ex impedito fluidi nervei in retinam influxu pendet. Hujus vero impedimenti ſeu cauſæ proximæ cum ſedes tum modi variare poſſunt.

§. 51.

Sedes juxta BOERHAAVIUM (*r*) eſt qvadruplex, ob qvadruplicia inſtrumenta viſivæ facultatis, qvæ inepta reddi poſſunt ad videndum, ſeu a qvorum læſione impeditur influxus fluidi nervei in retinam, nimirum

1. *Retina* ipſa inepta reddita ad fluidum nerveum a nervo optico advectum recipiendum, idqve aut aliqva tantum ſui parte aut ex integro, ut dum oſſea aut lapidea (*s*) evaſit, vel ab infarctu vaſorum contiguorum, vel inflatione inſigni lentis humorisve vitrei (*t*) compreſſa eſt.

(*q*) l. c. §. 102.
(*r*) Ibidem §. 103. ſqq.
(*s*) Vide §. 29. b).
(*t*) Vide §. 31. c).

2. *Nervus opticus* ,, totus in omni parte ,, ſua, hoc eſt, a bulbo oculi citra glandulam pituitariam ſeu a retina uſqve ad ,, thalamos nervi optici in cerebro. Si ſcilicet toto illo itinere aliqvid mutetur in ,, eo nervo, vel aliqva cauſa eum ineptum ,, reddat, ut lucem in oculo ſuſceptam eo ,, transmittere neqveat ,, (*u*), ob impeditum per eundem ad retinam fluidi nervei influxum: ut dum eſt contortus, extenuatus, eroſusve (*x*), aut compreſſus a vaſis accumbentibus infarctis (*y*), a tumoribus (*z*), ab extravaſatis (*a*), &c.

3. *Thalamus nervi optici* ad ſubminiſtrandum nervo optico fluidum nerveum ineptus factus. Deniqve

4. *Cortex cerebri* ea ſui parte, unde fibræ medullares nervorum opticorum oriuntur, ad ſecernendos ac transmittendos ſpiritus viſorios ineptus redditus, v. g. e ſubſidentia cerebri per validam commotionem, ab extravaſatis (*b*), ab intropreſſione cranii (*c*), &c.

(*u*) BOERH. l. c. §. 104.
(*x*) Vide §. 29. b. c. d. e.
(*y*) Vide §. 30. 33. 34. ſqq.
(*z*) Vide §. 31.
(*a*) Vide. §. 32.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide §. 47 a).

§. 52.

Modi vero influxum ſpirituum in retinam impediendi, ſeu facultatis viſivæ inſtrumenta paulo ante recenſita inepta ad videndum reddendi, ſunt complures, ſcilicet

1. *Compreſſio* inſignis retinæ vel nervi optici, vel thalamorum nerv. opt. vel cerebri, qvam infarcta vaſa his inſtrumentis dicata, vel tumores, vel extravaſata, &c. inducunt.

2. Canaliculorum ſpiritus viſorios transmittentium *Collapſus*, *coalitus*ve, ob inanitionem vaſorum, vel ſubſtantiæ nervi aut retinæ exſiccationem vel degenerationem in os, callum, lapidem, &c. i. e. in unum continuum ſolidum.

3. *Unitas ſoluta*, nervi optici præſertim, per ulcera exedentia (*d*), vulnera (*e*), &c.

4. *Abſentia nativa nervi optici*, ſi unqvam a qvoqvam eſt obſervata.

(*d*) Vide §. 29. d).

(*e*) Ibidem.

CAPUT VII.

DIAGNOSIS.

§. 53.

Amauroſeos diagnoſis ad bina vel maxime pertinet, nimirum ut morbus præſens primum qvoad ſe cognoſcatur adeſſe, tum ab aliis qvoqve, cum qveis vel confundi poſſet, vel complicatus adeſt, rite dignoſcatur. Interea vero admodum ardua eſt amauroſeos duplex hæc diagnoſis, cum ob varietatem rerum in eadem determinandarum (puta gradus morbi, ſedis, ſignorum determinantium), tum ob ſignorum pathognomicorum defectum, ut omnes periti hactenus ingenue ſunt confeſſi, & e mox dicendis liqvido apparebit. Namqve

§ 54.

I. ABSOLUTA *diagnoſis amauroſeos*

A. *Incipientis* vel ex eo eſt perqvam difficilis, qvod, cum iisdem innitatur ſignis determinantibus, qvibus ipſa amauroſis perfecta præſto eſſe adſtrui ſolet, hæc in incipiente multo varient magis, qvam in perfecto jam morbo variare conſveverint, id qvod clarius elucеſcet e diagnoſi amauroſeos

B. *Perfectæ*, cujus ipſius qvoqve teſte A. G. RICHTERO (*f*) „difficilis aliqvando ... „ diagnoſis eſt; ſigna enim, qvæ prodere „ illum (morbum) dicuntur, conſtantia non „ ſunt, adſunt aliqvando, aliqvando ab- „ ſunt „. Vulgo enim qvæ Auctores ad eam comparandam profitentur, ſunt

1. *Pupilla diffuſa, nigra, immobilis.* Sed qvam inconſtantia omnia hæc ſint, ſatis ſuperqve in ſuperioribus (*g*) eſt oſtenſum.

2. *Cæcitas perfecta*, nullo, ſi pupillæ vitia modo dicta demas, conſpicuo in oculis affectis vitio, imo ne pupilla qvidem interdum ullum exhibente vitium, præſertim ſi cæcitas hæc ab idoneis ei generandæ cauſis (*h*) ſubito invaſit, vel certe per phænomena amauroſi propria (*i*) ſenſim invaluit. Verum neqve hæc ſunt certiora; namqve hæc veram amauroſin a ſimulata haud qvaqvam diſcernunt. Pone etenim pupillarum ſeu mobilitatem ſeu immobilitatem: cum cetera a ſola ægri relatione pendeant, ſatis apparet, viſum, qvem abeſſe CAIUS qveritur, præ-

(*f*) l. c. p. 63.

(*g*) Vide §. 17. a) b) d).

(*h*) Vide §. 27. ſqq.

(*i*) Vide §. 15. 16.

ſto eſſe poſſe; qvippe qvem nec pupilla immobilis ſublatum, nec mobilis non ſublatum, evidenter arguat (*k*).

3. *Lucis perceptio* ex oculi rudiore compreſſione vel perfrictione, qvemadmodum ſanorum in oculis accidit, ſi preſſio illa verſus oculi fundum ſeu ultra humoris cryſtallini regionem (ut jubet G. BRIGGS (*l*) inſtitui) fiat, nulla. „ Expertus ſum pluries, „ inqvit J. B. MORGAGNIUS (*m*), ſi cor„ nea prematur, lucem nullam; ſi regio, „ qvæ propius corneam eſt, lucem inſtar „ dimidiati annuli; ſi paulo ultra, inſtar an„ nuli, apparere. Rurſus, ſi non ſummus „ tantum digiti apex, ſed & proxima pars „ digiti, apprimatur, lucem apparere inſtar „ annuli elliptici; ſi pro digito corpus ali„ qvod multo minus & ſubrotundum; ut „ acus capitulum, inſtar annuli multo mi„ noris apparere, ſemper tamen in adverſa „ preſſioni parte. Qvæ commemorare o„ mnia volui, ut intelligeretur, mihi... „ probabile videri... phænomenon prædi„ ctum a contorſione fibrarum tunicæ reti-

(*k*) Vide §. 17. b).

(*l*) Ophthalmographiæ Cap. 4.

(*m*) Adverſ. anat. 6. animadv. 73.

„ formis potiſſimum oriri, unde ſpiritus a-
„ nimales a nova hac & vivida vibratione,
„ ſicut a lucis radiis, afficiantur ... Et hoc
„ ipſe expertus ſum, ut dum mihi oculum
„ propoſita ratione premerem, aliqvis pro-
„ pius introſpiceret; qvi etſi perſpicaciſſima
„ acie eſſet, mihi autem vel præclariſſima
„ lux appareret, nihil tamen lucis ipſe a-
„ nimadvertere unqvam potuit„. Hoc vero experimentum Cl. Vir (*n*) idoneum eſſe judicavit ad explorandam amauroſeos præſentiam; nam ſi ad inſtitutam hujusmodi preſſionem oculi verſus ejus fundum (a qva ipſa afficitur retina) æger nihil ſe lucis percipere aſſerat, indicium eſt, retinam priſtina ſua ſenſilitate, aut ſi mavis irritabilitate, eſſe deſtitutam, i. e. oculum amauroſi laborare. Sed qvoniam hoc qvoqve ſignum e confeſſione ægri petendum eſt, fallere hic poterit; proinde ſigno iſthoc ſimulata amauroſis a vera perinde non diſcernetur. Atqve hinc abunde colligitur, qvanta difficultate abſoluta amauroſeos diagnoſis laboret. Sed neqve expeditior per omnia eſt amauroſeos diagnoſis

(*n*) Ibidem animadv. 74.

§. 55.

II. RELATIVA, qva a morbis aliis, qveis cum vel confundi poſſet, vel complicata eſt, dignoſcenda venit. Namqve ut nihil de amblyopia, hemeralopia, nyctalopiaqve, & aliis viſus diminuti generibus, alia atqve alia nomina ſortitis, qvamvis ſingula ipſum opticum nervum varie affectum notent, dicam; certe

1. *Cataracta* occipiens ab amauroſi imperfecta interdum ægerrime diſcernitur, dum pro nigrore illo ſplendido multis amauroticorum familiari pupilla oculi cœcutientis inſpecta pallorem pone ſe intuendum præbet, qvalem cataractæ naſcentes objicere in pupillam intuenti ſolent (*o*); „ ſigna vero, „ qvorum ope uterqve morbus dignoſci ta- „ men poteſt, ſunt forte, inqvit D. NOOT- „ NAGEL (*p*), qvæ ſeqvuntur: cauſæ præ- „ greſſæ, pupilla dilatata & immobilis (qvæ „ tamen ex aliis cauſis ... qvoqve adeſſe „ poteſt), pallor ille nubeculoſus magis eſt „ ab iride remotus (qvamqvam hæc diſtan- „ tia interdum perdifficilis ſit diſtinctu, ut

(*o*) Vide §. 17. d).
(*p*) l. c. §. 2.

„ ego ipſe in ægro, qvem in noſocomio fra-
„ trum miſericordiæ vidi, expertus ſum),
„ nulla deniqve intercedit nubeculæ cum
„ lucis diminutione proportio „.

2. *Amauroſis ſimulata* haud ſecius difficulter interdum detegitur, atqve a vera dignoſcitur; partim qvod mendicabula otioſa, milites vacationi a militia impetrandæ intenti, &c. ita hunc morbum ingenioſe mentiri didicerint, ut fraudem vix ſit integrum detegere; partim vero, qvod ipſa veræ ac perfectæ amauroſeos ſymptomata ac ſigna diagnoſtica (*q*) ſint ſæpenumero ambigua. Interea tamen omnia diligenter circumſpicienti indagatori patebunt hinc inde cuniculi ad veritatem eruendam, nempe

a) *Cauſa* morbi rogata, ſi inſolens fuerit, &

b) *Pupilla* ſanæ in modum mobilis, ſuſpicionem prudentem doli injicient. Tum etiam eandem augebit

c) *Lucis perceptio* ab oculo methodo MORGAGNIANA (*r*) compreſſo in iis, qvi experimenti hujus ignari ſunt. Deniqve

d) *Conniventia* palpebrarum aut pupillæ contractio, tum cum qvis inopinato oculis

(*q*) Præced. §. B. No 1. 2. 3.
(*r*) Ibidem No 3.

digiti alteriusve rei cuſpidatæ apicem invehere aut impingere ſimulat, citiſſime fraudem latentem aperit. „ Ubi fraudis ſuſpicio „ eſt, inqvit I. B. MORGAGNIUS (*s*), nemo poteſt decipi, niſi qvi forte nunqvam „ cum PLINIO (*t*) animadverterit, qvam „ rari ſint, qvi *contra comminationem aliqvam non conniveant*, *qvantæqve hoc difficultatis ſit homini.* Qvin mihi in illiusmodi ſimulatore cum ſuſpicionem augerent „ pupillæ nec dilatatæ nec immotæ, memini, ſatis fuiſſe digitos, qvaſi per cauſam „ diligentius oculum obſervandi, tacite ad „ palpebras admovere; has enim, anteqvam „ tangerem, planus ille continuo occluſit, „ ſuamqve ita fraudem invitus aperuit. „ Qvam facilem adeo obviamqve rationem „ miror J. B. SILVATICUM in alioqvin „ utili libello omiſiſſe, qvi *de iis, qvi morbum ſimulant, deprehendendis* inſcribitur, „ ubi (*u*) *ſimulata ſenſuum privatio qua ratione poſſit detegi*, oſtendit. Nam oculos „ qvidem objicere, qvod ipſe videtur indi-

(*s*) De ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. 13. No 13.
(*t*) Natur. hiſtor. L. 11. C. 37.
(*u*) Cap. 11.

„ care, *maximis ſplendoribus*, ob id ipſum
„ periculoſum eſt experimentum, qvod his
„ ait viſum *non infeſtari modo, ſed etiam*
„ *corrumpi*. Ego vero eadem illa ratione
„ deprehendiſſe præterea memini qvemdam
„ neſcio qvas acceſſiones ſingentem, in qvi-
„ bus omni cum movendi tum ſentiendi fa-
„ cultate ſe privatum neceſſariis poſtea Me-
„ dicisqve narrabat, & aſpera nonnulla ad
„ ipſum excitandum auxilia pertinaciſſimo
„ tunc ſilentio ferentem. Cum enim in una
„ ex ſuis illis acceſſionibus apertos oculos
„ forte ſervaret, ego autem his digitos in-
„ tentarem; illico, priusqvam attingerem,
„ nictando & videre ſe & movere poſſe pal-
„ pebras, omnibus, qvi aderant, patefe-
„ cit „ (Simpliciſſimum ſane iſthoc tenta-
men in vera amauroſi graviore, tametſi ce-
tera ſigna deſiderentur, cognoſcenda patho-
gnomici ſigni inſtar haberi poteſt). Demum

e) *Obſervatio* ſagax id genus hominum
cœcitatem fingentium, dum ſoli ſibi data
opera a cuſtodibus, ex abdito loco ſpecu-
lantibus, relinqvuntur, utrum præcipitia vi-
tent, obſtacula declinent ſtudioſe, in obje-
cta apprehendenda rite colliment, &c.
perinde ſæpenumero fraudem deprehen-
dit. At

3. *Complicatio amauroseos cum cataracta* ita interdum difficilem reddit diagnosin, ut nulla fere arte obtineri qveat. Nam signa hujus complicationis ab Auctoribus suppeditata, nimirum 1mo lucis a tenebris nullum discrimen perceptum, 2do pupilla ampla & immobilis, hujusmodi sunt, ut & abesse præsente illa complicatione possint, & citra eandem adesse. Sane in cataractæ amaurosi occipienti junctæ genesi & pupilla mobilis præsto esse potest, & lucem inter ac tenebras discrimen percipi. Contra ea sola cataracta & immobilem reddere pupillam valet, lente vel accreta undiqve uveæ, vel ob magnitudinem insolitam in pupillam compulsa, eamqve simul dilatante, qvo utroqve in casu simul ita omnis lux ab oculo excluditur, ut lucem a tenebris æger discernere nullatenus qveat. Sed ipsa hæc, dicet forte qvis, lentis ad uveam accretio cognosci potest. Qvid tum? An inde continuo etiam amauroseos conjunctæ absentisve diagnosis obtinetur? Haud qvaqvam! Qvid si ne concretio qvidem lentis cum uvea semper certo detegitur? Hujus profecto signa non usqve adeo sunt indubia, ut fallere qvandoqve non possint; nam summa lentis ad uveam vicinitas etiam a justo majore lente usqve ad uveam propulsa oriri potest: nec obliqvitas pupillæ qvid-

qvam hic certi pollicetur, ut qvæ vel nativa esse possit, qvalem M. E. BLOCH (*x*) aliiqve viderunt, vel etiam ab ipsa amaurosi vel mydriasi confieri, velut in ægra DEMOURSII (*y*); nec ejusdem inæqvalis mobilitas docet aliqvid, qvippe qvæ non nisi accretionem lentis ad uveam non omnimodam arguat, qva præsente nihilominus etiam amaurosis adesse potest. Luculentum nostram in rem casum observavit PELLIER (*z*) qvadam in ægra cataractam passa, coloris ex albo pallidi, lente ad pupillam diffusam & immobilem vicinissima. Ægra lucem a tenebris non discernebat. Frustranea hic videbatur cataractæ operatio, ob indicia amauroseos simul præsentis; nihilominus ad importunas ægræ preces instituta est. Lente prompte facileqve ex oculo exempta visus continuo rediit distinctus. Lens ipsa erat grandis, qvam præterea materiæ albidæ effluxus est consecutus. Hic sane complicationis amauroseos cum cataracta, aut certe lentis ad uveam accretæ, manifesta aderant indicia,

(*x*) Medicinische Bemerkungen No I. p. I.

(*y*) Vide §. 44.

(*z*) ROUX Journ. de medec. &c. Tom. 45. p 355.

licet neutrum adfuerit; verum „ e magnitu-
„ dine lentis cryſtallinæ, & præternaturali
„ MORGAGNIANI humoris copia omnia
„ hujus cataractæ phænomena pronum eſt
„ explicare, inqvit A. G. RICHTERUS (*a*).
„ Lentis tam grandis preſſio in uveam pro-
„ cul dubio pupillam diduxerit, immobilem-
„ qve effecerit; ſpatioſoqve ſuo volumine
„ omnem radiis lucis aditum intra oculum
„ præcludens lucis tenebrarumqve ſenſum
„ prohibuerit. Unde liqvet, præternatura-
„ lem pupillæ amplitudinem ac immobilita-
„ tem cum nulla lucem inter ac tenebras
„ diſcriminis perceptione copulatam haud
„ ſemper indicium eſſe aut amauroſeos cata-
„ ractæ complicatæ aut lentis cryſtallinæ ad
„ uveam accretæ; generatimqve operatio-
„ nem cataractæ etiam deterrimis cum ad-
„ junctis neqvaqvam eſſe negligendam; qvan-
„ doqvidem vel ſæpe præter opinionem læ-
„ tum præbet ſucceſſum vel certe ægrum ni-
„ hilo, qvam ante, magis reddit infeli-
„ cem „. Conſilium ſane Chriſtiano philo-
ſopho longe digniſſimum. Qvod perinde
nuper admodum dexterrimo Vindobonenſi
Chirurgo JOSEPHO MOHRENHEIM pro-

(*a*) Chirurg. Biblioth. 4. B. 2. St. No 5 p. 254.

ſperrime ceſſiſſe ſeqvens ab ipſo mihi amice communicata obſervatio liqvido evincit: nempe vetula ad 60 annos nata, continuo valetudinaria, & cetera inter incommoda cephalalgiam, odontalgiam, ophthalmiam, acremqve lacrimationem continuam experta A. 1779 die 17ma Novembris in noſocomium allata eſt cum amborum oculorum, profunde orbitis immerſorum cataracta, cetera bene conſtitutorum, niſi qvod pupilla dextra admodum diffuſa, læva contra perqvam contracta, ambæqve immobiles fuerint. Cataractas ægrota crebris cephalalgiis odontalgiisqve imputabat. Viſus utriusqve oculi lente decreſcebat, donec oculo dextro vetula a ſemeſtri nil amplius poſſet uſurpare, imo nec diem a nocte diſcernere, nec lumen accenſum oculo objectum percipere; lævo autem, etſi nullum perinde objectum detegeret, noctem tamen a die adhuc aliqvatenus diſcernebat. Cataracta dextra 4 jam annorum fuit, flaveſcens, prægrandis, pupillæqve ad omnes lucis qva admiſſæ qva ſubductæ viciſſitudines prorſus immobili denſe accumbebat; læva vero biennalis, albis ſtriis prædita, cum pupilla concreviſſe videbatur. Qvoniam autem anus operationem efflictim expoſcebat, ſimulqve haud eram neſcius, ab inſolita lentis opacatæ magnitudine omnia

amauroſeos phænomena effingi poſſe, 3tio poſt die cataractam dextram depreſſi. Durante vero adhuc operatione, ut primum ſuprema pupillæ regio aliqvatenus libera evaſit, exclamat ægra, lucem ſe oculo illo percipere. Lens ob molem inſignem haud parum mihi negotii faceſſebat, qvoad integra depreſſa & ſub humorem vitreum compulſa eſt. Qvo facto ægra omnia continuo objecta diſtingvebat. Operationem nil prorſus incommodi conſecutum eſt, præter prementem qvemdam dolorem, illudentiumqve muſcarum apparitionem. Qvo etiam non multo poſt ſuperato vetula intra 3 hebdomades, pupilla interea qvotidie ſe ſe in arctius contrahente, ſana diſceſſit. Lævum oculum ob admodum ambiguum eventum non attigi. Ejusdem prope tenoris obſervationes cum C. E. ESCHENBACH (*b*), tum J. JANIN (*c*) literis mandarunt. Qvemadmodum vero cataracta ſimultaneam amauroſin qvandoqve ementiri ſolet, ita e contrario etiam interdum accidit, ut ſub cataracta lateat ſimul amauroſis, qvin ſufficientia ſui præbeat indi-

(*b*) l. c. Obſ. 6.

(*c*) l. c. p. m. 245. ſqq.

cia. A. F. VOGEL (*d*) vidit octogenariam feminam cataracta cum amaurosi affectam, qvamvis mobiles haberet etiam tum pupillas, lucemqve insuper a tenebris discerneret. Sed operatione cataractæ feliciter licet absoluta anus nihilominus visu orba mansit. Atqve ex his diagnoseos dictæ difficultates abunde elucescunt.

§. 56.

SEDES deniqve *morbi* cognoscenda superest: qvæ cum qvadruplex esse possit (*e*), videlicet cortex cerebri, vel thalami nervorum opticorum, vel nervi optici inde orti usqve ad retinam, vel ipsa demum retina, e tota hactenus data amauroseos historia facile colligitur, trium priorum partium læsionem non tam e phænomenis morbi, qvam causis potius ejusdem rite cognitis, esse eruendam, id qvod ipse etiam H. BOERHAAVIUS (*f*) satis innuit; qvod si retina sit affecta „ cognoscitur, inqvit idem (*g*),

(*d*) Chirurg. Wahrnehm. 1te Sammlung.

(*e*) Vide §. 51.

(*f*) l. c. §. 110. sqq.

(*g*) Ibidem §. 108.

„ ex seqventibus: 1mo lento gradu procedit, & habet dictas (h) imagines; 2do ponit hebetudinem visus, i. e. ejus debilitatem, anteqvam oriatur cœcitas... 3tio parit ultimo cœcitatem seu guttam serenam „. 4to Vasa externa oculi turgida qvandoqve ac varicosa sunt, ut vidit F. HOFFMANNUS (i). Accidit interea subinde, ut ubi mali sit sedes, nullo unqvam artificio detegere sit integrum: neqve id mirum videri debet; siqvidem ne in cadaveribus qvidem, solertissime licet lustratis, semper inveniatur. Sic. W. ROWLEY (k) in 4 amauroticorum cadaveribus nihil prorsus vitii seu in oculo seu nervis reperire potuit; qvod idem in HAENII (l) adolescente rustico est observatum.

CAPUT VIII.

PROGNOSIS.

§ 57.

I. PERICULUM *imminens præsagit* interdum amaurosis tam perfecta, si subito in-

(h) Vide §. 16. a. b. c. d.
(i) Consult. & resp. med. Cent. 1. cas. 49.
(k) A Treat. on the princip. Diseas. of the Eyes.
(l) Vide §. 116.

gruit, vel cum aliis gravibus capitis malis juncta est, qvam incipiens ab illusionibus opticis. Etenim

1. *Splendores* sanis citra causam evidentem ob oculos repente obversantes convulsionem affuturam portendunt, ac vel maxime epilepsiam aut distentionem nervorum. COEL. AURELIANUS (*m*) notat, ab epilepticis ante invasionem scintillas ob oculos, aut circulos igneos, oberrantes sentiri; cujusmodi casum refert E. HAGENDORN (*n*): „ matrona... annorum 40, cum catarrhis „ dudum conflictata, in iram proclivis, qvæ „ per aliqvot annorum decursus periodi- „ cam experta hemicraniam, nunc per anni „ unius spatium interpolatis vicibus insultus „ qvosdam epilepticos sustinuit, aura qva- „ dam ex pollice dextri pedis superiora pe- „ tente, & paroxysmum instantem semper „ intimante: ubi præter alia, qvibus crucia- „ batur, symptomata & hoc molestissimum „ sibi existimabat, ut qvoties paroxysmus „ epilepticus præ foribus, toties copiosas „ ignium scintillas utriqve oculo videret „ obversari, parem in modum, ac si obje-

(*m*) Morb. chron. L. 1. C. 4.

(*n*) l. c. Cent. 1. histor. 15. p. 27.

„ cta in conclavi ignea essent. Qvi vero „ splendores cessante paroxysmo & ipsi cessare consveverant, dolentibus tamen post „ paroxysmum oculorum bulbis„. Ejusdem qvoqve rei præclarum exemplum narrat T. BARTHOLINUS (o) de robusto viro, qvi cum „deambulando lassus domum reverteretur, urinam excernere coactus fuit; inter „ mejendum vero splendores & coruscationes „ non sine stupore ante oculum sinistrum „ obversari sibi animadvertit, qvibus evanescentibus putabat rem esse nullius momenti, siqvidem ad pristinum statum oculus statim rediret. Eadem tamen hora „ per intervalla scintillas eosdemqve splendores intuebatur, & qvasi MEDUSAM „ aspiceret, stabat immotus trucibus oculis. „ Malum istud in dies per 2 hebdomadas seqventes adeo increvit, ut non splendores „ solum & scintillas, sed globos igneos ignisqve maximam qvantitatem e phiala „ qvasi effusam sibi videre visus sit. Multa „ adhibuit vulgi consilia, qvod omnia ad „ veneficia referebat, donec convulsionibus „ epilepticis adeo horrendis corriperetur, „ ut vix 4 viri robustissimi ad sustinendum

(o) Histor. anat. rar. Cent. 3. hist. 45.

„ illum ſufficerent, inter qvas violentiſſi-
„ mas commotiones vitam cum morte miſe-
„ re commutavit „. Binos ſimiles caſus
etiam P. I. SACHSIO (p) obſervare contigit.
„ A. 1667. I. G. HANCK Vratisl. chirurgus
„ experientiſſimus, & decennali Indiæ orien-
„ talis peregrinatione clarus ... ex tot iti-
„ neribus vario ſub cœlo & aere peractis va-
„ letudinarius per aliqvot annos, inopina-
„ to epilepſia corripitur. Adhibita varia
„ fuerunt remedia, & qvidem eo cum ſuc-
„ ceſſu, ut videretur malum eſſe debella-
„ tum. Sed dum per aliqvot dies conqve-
„ reretur de ſplendoribus igneis & globulis
„ flammeis continuo ante oculos volitanti-
„ bus & viſum depravantibus, tandem tam
„ vehementer ab epilepſia correptus fuit,
„ qvæ nullam pauſam faceret, niſi cum ipſa
„ vita exſtincta fuiſſet. Eodem anno femi-
„ na qvædam cachectica 46 annor. variis
„ variorum morborum ſymptomatibus con-
„ flictata, demum ſplendorum igneorum mo-
„ leſtias continuo oculos fatigantes accuſa-
„ vit. Ego prioris exempli optime memor
„ malum exinde adſtantibus pronunciavi au-
„ gurium, & inſtantes motus convulſivos,

(p) Miſc. nat. cur. dec. I. ann. 2. obſ. 96.

„ qvos ante nunqvam perſenſerat, prædixi: „ qvi etiam non dum elapſo biduo ſupervenerunt tanta cum vehementia, ut ægram „ in ipſo paroxyſmo ſtrangularent „. Haud ſecius MARC. DONATI (*q*) „ mulier ætate „ florenti... non ſine morbi Gallici ſuſpicione puſtulis circa dextram capitis partem moleſtabatur, qvibus externis medicamentis adminiſtratis liberata fuit; ſed „ dolore capitis infeſtiſſimo correpta eſt: „ pro cujus curatione dum vena tunderetur, qvemdam in media capitis parte interna crepitum, ac ſi veſica disrumperetur, perſenſit, ex qvo in levem lipothymiam incidit, qva levata maximo animi „ mœrore correpta eſt, ac poſt nonnullos „ dies globulum igneum ſibi videre viſa eſt, „ qvi poſtea in maximam flammam excrevit, „ ac deinceps melancholicis ſymptom. atqve „ epilepticis vexata fuit per intervalla; ſiqvidem modo freqventiora, modo tardiora, ſemper tamen ſic incipientia: primum „ enim in oculo dextro, qvi & illi ſæpius „ dolebat, veluti lumen ſibi reſplendere videbatur, referebatqve, ſi ex ſiniſtro o-

(*q*) l. c. p. m. 72. ſq.

„ culo duntaxat reſpiciebat, ſe non niſi dimidium hominem, ac reliqva objecta veluti per medium disjecta, conſpicere „. Apud HIPPOCRATEM (r) porro „ MNESIANACTI ... contigit alvi dejectio ante febrem, poſteaqve multo tempore comitabatur, multis albis mucoſis prodeuntibus: qvandoqve etiam paucum ſangvinem citra laborem & dolorem demittebat; ventris autem ſtrepitus aderant. Poſt febrem tuberculum durum ad ſedem abſceſſum fecit, diu incoctum perſeveravit, ad inteſtinum ruptum eſt, & foris fiſtuloſum evadebat. Cum autem in foro deambularet, ei ante oculos fulgores obverſabantur, neqve plane ſolem intueri poterat. Ubi vero paulum ſeceſſiſſet, extra ſe fuit, & cervicis convulſione tentatus eſt. Poſtqvam autem domum relatus eſt, ægre viſum recepit, vixqve ad ſe ſe rediit. Primum vero circumſtantes oculis colluſtrabat, corpus adeo perfrixit, ut vix utriculis & novis ſubinde adhibitis fomentis recaleſceret. Poſteaqvam autem ſui compos fuit, & ſurrexit, prodire noluit, ſed timere dicebat. Qvod ſi qvis de gravibus morbis verba

(r) Epidem. Lib. 7. No 53. f. m. 1222.

„ face-

„ faceret, præ timore ſe ſubducebat. In-
„ terdum ſibi ad præcordia calorem occur-
„ rere dicebat, & oculis obverſantes fulgo-
„ res comitari. Alvi dejectio multa fuit,
„ & ſæpe & ſimilis hyeme contigit. Væ So fa-
„ cta eſt, veratrum exhibitum, lactis vac-
„ cini potione uſus eſt, ac primum aſinini,
„ qvod contulit, & alvi egeſtiones ſedavit.
„ Aqvæ potio ab initio fuit, deambulatio-
„ nesqve & capitis purgationes „. Perinde
„ (s) PHOENICIS is erat affectus: ut ex
„ oculo dextro plerumqve velut fulgur co-
„ ruſcare videretur, non multo vero inter
„ poſito tempore, ad tempus dextrum gra-
„ vis dolor exoriebatur, poſteaqve totum
„ corpus caput atqve etiam cervicem perva-
„ debat, capitis pars poſterior ad vertebras
„ intumeſcebat, cervicis nervi majores (qvos
„ tenontas appellant) contendebantur, &
„ circum dureſcebant. Qvod ſi caput com-
„ movere aut dentes aperire conaretur, non
„ poterat, utpote admodum diſtentus. Vo-
„ mitiones ſi qvando oboriebantur, comme-
„ moratos dolores ſubmovebant & lenibant.
„ Sangvinis miſſio auxilio fuit, & veratri
„ potiones, cujusqve modi humores edu-

(s) Ibidem No 96 & Lib. 5. No 82.

„ xerunt, præcipueqve porraceos „. Ita etiam senatoris meminit J. B. MORGAGNIUS (t), qvi „ varios potissimum, & miro opere dispositos colores, alias Zonas qvasi aureas singulari ordine circumductas, usqve adeo sibi videre videbatur, ut nonnunqvam sicut ad veras propius contemplandas accesserit, donec repente species illæ omnes evanescerent. Itaqve etsi ad cetera ejus incommoda thoracis hydrops se adjunxerat, extremo tamen in morbo & balbutiebat, & aliis etiam tum convulsionibus laborabat, & his acrius ingruentibus non sine oris tortione decessit: ejusqve sublata calvaria multum aqvæ, præsertim inter meninges, conspeximus „ inqvit. Peculiare qvoqve est exemplum I. I. WEPFERI (u) de viro obeso, rubra facie, breviqve collo & magnis utrinqve botiis deturpato, qvi post leviorem lateris dextri hemiplegiam toleratam prorsusqve iterum curatam biennio post mane qvodam caput sensit perturbari, uxor in lecto dimidiata illi, & objecta qvæqve viridia aut cœrulea apparebant, atqve circa 10am matutinam epilepsia

(t) Epist. anatom. 18. No 5.
(u) l. c. Obs. 100.

ingruit intra 3 horas sexies repetens, & qvatridui insignem post se amnestiam relinqvens, qvæ nunqvam postea ex integro emendari potuit; donec reversis epilepsia, amnestia, levissimaqve dextri lateris hemiplegia homo demum apoplexia est exstinctus. Atqve hinc apparet, qvam ominosi sint amaurotici id genus splendores (x). Idem qvoqve omen habet subito ingruens amaurosis perfecta. Sic T. BARTHOLINI (y) „juvencula... 17 annor... oborta circa caput nubecula in motus convulsivos inciderat, semperqve fere ad dextrum latus circumrotabatur. Brevissimos habebat paroxysmos, sæpe recurrentes, & cum timore insolito desinentes„. I. P. ALBRECHTUS (z) refert mulierem 22 annor. e gravi terrore omnibus artubus contremiscentem simul obtenebrari continuo visum sensisse: malum hoc sponte desiturum rata somno se dat; sed mane claro expergiscens oculis captam se sensit, nullo in oculis vitio conspicuo, qvod malum brevi ex intervallo gravissima epilepsia est consecuta, per bi-

(x) Vide §. 16. c).
(y) l. c. Cent. 2. hist. 90.
(z) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 5. obs. 28.

duum cujusvis horæ $\frac{1}{4}$ ſibi vindicans, donec tandem idoneis remediis cum ipſa etiam amauroſi profligata eſt, ſuperſtite aliqvali viſus obſcuritate, uſui diaphoreticorum intra paucos dies perinde cedente. Binos qvoqve hujusmodi caſus G. CLAUDERUS (*a*) obſervavit, nempe feminæ 40 annor. aſthmati, vomitui, cephalalgiæ, hypochondriorum uteriqve turbis plures jam annos obnoxiæ, cum vice qvadam a turbis abdominalibus caput admodum turbaretur ac doleret, brevi poſt ſubita ac perfecta accidit amauroſis, eamqve æqve celeriter epilepſia eſt conſecuta, qvæ alvo provocata, nervinisqve in & externis adhibitis, poſt paucas invaſiones deſiit, viſu qvoqve reverſo. Alia partui vicina poſt ſubitam vehementemqve 2 horarum cephalalgiam perinde amaurotica facta lapſa inde vix hora epilepſiam nacta poſt 4 horas fœtum mortuum fruſtatim enixa eſt. Atqve huc etiam ROUGERESII (*b*) gravidam, nec non hypparchum SALMUTHI *c*) referre oportet. Porro

(*a*) Ibidem dec. 2. ann. 7. obſ. 161.

(*b*) Vide §. 32.

(*c*) Vide §. 47. a).

2. *Idola nigra* amaurotica (*d*), ut muſcæ, flocci, &c. apparentes, in acutis febribus portendunt phrenitidem, mortem. „ In mor- „ bis acutis & violentis, inqvit BOERHAA- „ VIUS (*e*), hæ maculæ... ſæpe apparent, „ ſic ut manibus eas removere cupiant, „ qvod viſum ipſis impediant; ſed ſanato „ morbo iterum diſparent. Dum adeſt ma- „ lum, ægri muſcas & floccos carpere ſo- „ lent, qvod ſignum eſt inſtantis phreniti- „ dis, & etiam in morbis acutis, ubi hæ ad- „ ſunt maculæ, phrenitis ſeqvitur, qva ſo- „ luta diſparent „. Ominoſa admodum hæc idola atra ſemper HIPPOCRATI (*f*) ſunt habita; „ de manuum vero motione ita (in- „ qvit ille) cenſeo: in febribus acutis aut „ pulmonum inflammationibus, aut phreni- „ tide, aut capitis doloribus, qvibus ante „ faciem feruntur, & aliqvid fruſtra venan- „ tur, & feſtucas colligunt, aut floccos e „ veſtibus evellunt, & ex pariete paleas car- „ punt, ex his omnibus malum & mortem „ portendi „. Eodem modo paſſim damna- vit viſus obſcurationem: „ in morbis (ajens) „ præcipitibus... oculorum... hebetatio ac

(*d*) Vide §. 16. b).
(*e*) l. c. §. 78. No 11.
(*f*) Prænotion. f. m. 38.

„ retufio & fqvallor malum denunciat „(g). Cum enim hoc fymptoma in acutis infarctum vaforum ophthalmicorum a carotidibus internis ortum ducentium indicet, juftus eft metus, ne ramis carotidum in encephalo magis fenfim infarctis deliria, convulfiones, &c. confeqvantur, qvod ipfum COUS (h) obfervavit, ac tum vel maxime, ubi animo fimul deficiunt ægroti: „ cervicis (ait ille) & „ dorfi perfrictiones, & qvæ totum corpus „ videntur pertingere, infuper & fpumantes „ mictiones cum animi deliqvio, ac oculo„ rum hebetatio, convulfionem in proximo „ effe fignificant „.

3. *Morbi capitis* alii amaurofi juncti, ita ut vel hæc illis superveniat fine levamine, vel ifti illam pertinacem comitentur, indicio funt, caufam harum affectionum effe intra encephalon, crefcere, ac certum exitium inde inftare, id qvod & pellio HAGENDORNII (i) & BRIGGSII (k) homo, & bini WILLISII (l) ægri, & plures alii e-

(g) Epid. L. 6. S. 1. aph. 16. & Prorrh. L. 1. No 46. & Coac. No. 225.

(h) Prorrh. L. 1. No 113. & Coacor. No 226.

(i) Vide §. 40.

(k) Vide §. 37. a).

(l) Vide §. 32. b).

ventu ſuo comprobarunt. Huc etiam procul dubio referendus erat luculentus caſus R. LENTILII (*m*), ſi exitum ejus etiam literis mandaſſet, de ſutore (NIPSUM vocat) ad 40 annos nato, cholerico, macro, cardialgiæ interdum obnoxio, & anno ante cephalæam, veſicante admoto exacerbatam, experto, cujus nova recidiva comitem habuit vertiginem, vomitum bilioſum, ſenſum frigoris in ſtomacho, tantamqve laſſitudinem, ut lectum ſine metu ſyncopes deſerere neqviret. Dolor occiput tenebat, qva ſplenii muſculi ſunt, inde juxta aurem ad lævum ſynciput protenſus, ibiqve in ſpatium floreno æqvale contractus, fiebat ſæviſſimus. Huic novus ſe junxit utramqve pedis plantam lacerans. Acceſſit tuſſis cum ſputorum mucoſorum copia, multæqve ac moleſtæ oſcitationes. Creſcente inde cephalæa articulorum qvoqve flexuræ indoluerunt. Remediis variis non multum profectum, præter breves inducias. Unde viſu hebeſcente oculi lævi cœcitas eſt conſecuta. Pergenti cephalææ ſe junxere febriles motus, animi

(*m*) Eteodr. med. pr. p. 187. 189. 192. 196. 208. 213. 713. 1316. 1323. 1329. 1336. ſq. 1342. 1345. 1353. ſq. 1356.

deliqvia, & oculi in dies magis caligabant, tum dolere etiam occeperant, usqve dum sub atrocissime sæviente cephalæa perfecta oriretur amaurosis cum crebris pavoribus, continuisqve tendinum subsultibus, qvi in contractiones spasmodicas adolevere cum animi deliqviis. Tandem febris manifesta emicuit, cui cortex Peruv. oppositus. Hactenus LENTILIUS.

§. 58.

II. EFFECTUS amauroseos sunt varii, iiqve interdum bene, alias male, cadentes. Nempe

1. *Solvit capitis morbos* qvandoqve graviores superveniens, præsertim cephalæam, epilepsiam. Sic oborta amaurosi desiit cephalæa mulieribus, qvarum meminere Annales Vratisl. (*n*) & SCHMUCKER (*o*), epilepsia vero GERBEZII (*p*) moniali, ac rustico HILDANI (*q*). Haud tamen semper ita res evenit; siqvidem in longe pluribus contrarium fieri observatur: cujusmodi

(*n*) Vide §. 19. b).
(*o*) Ibidem.
(*p*) Vide §. 40.
(*q*) Vide §. 39. d).

exempla paulo ante (*r*) numerosa sunt in medium allata.

2. *Impotentia lacrimandi* nonnullis accidit. In Annalibus Vratisl. (*s*) habetur casus viri, qvi dum visu pollebat, in egenos misericors, facilisque ad illacrimandum erat; oculis autem capto ne lacrimulam qvidem elicere erat integrum, etiamsi forte de vita ipsi periclitandum fuisset. An id paralysi nervi lacrimalis tribuendum?

3. *Visus acrior oculi sani* in monocula amaurosi venatori CAMERARII (*t*) raro exemplo obtigit; qvandoqvidem plane contrarium plerumqve evenire observatur, videlicet

4. *Monocula amaurosis sanum qvoqve oculum serius citius corrumpit*, ut vel amaurosis perinde vel cataracta, &c. oborta ejus visum pessumdet; id qvod nonnullis e brevi intervallo accidit, ut RAYGERI (*u*) vietori ac RICHTERI (*x*) venatori, qvibus amau-

(*r*) Vide §. præced. No 1. 3.

(*s*) Tent. 13. A. 1720. Julii Cl. 2. art. 3. §. 1. p. 33.

(*t*) Vide §. 47. b)

(*u*) Vide §. 36. b).

(*x*) Vide §. 47. b).

rosis unum oculum ex alio intra breve tempus corripuit; Gallo PLATERI (*y*) cum sinister primum caligasset, lapso mense dexter etiam eodem vitio periit; id ipsum vero BAEUMLINI (*z*) vir intra occiduum, & post 7 dies NEBELII (*a*) æger, ac WEPFERI (*b*) mulier experta est. Aliis autem non nisi post longius tempus amaurosis ex uno oculo in alterum qvoqve migravit, ut LENTILII (*c*) sutori, juveniqve GÜNZII (*d*). Anus GABELCHOVERI (*e*) post biennium, HOFFMANNI (*f*) vir post 4 annos, post 6 annos COLLINI (g) virgo & STOCKII (*h*) vidua, ac femina STÖRCKII (*i*) post 12 ½ ann. id ipsum sustinuere. C. S. YVES (*k*) omnibus iis id accidisse observavit, qveis amaurosis post præviam alterutri-

(*y*) Vide §. 31. b).
(*z*) Vide §. 39. a).
(*a*) Vide §. 74.
(*b*) Vide histor. 11.
(*c*) Vide §. præced. No 3.
(*d*) Vide §. 27. No 1.
(*e*) Vide §. 46.
(*f*) Vide §. 16. d).
(*g*) Vide §. 79. A.
(*h*) Vide §. 120.
(*i*) Vide §. 84.
(*k*) l. c. Cap. 27. §. 12. p. m. 321.

us oculi levem inflammationem cum dolore capitis e latere oculi affecti conjunctam oborta est; nam iisdem cum symptomatibus certo post tempore alterum qvoqve oculum amaurosis invaserat, nullis remediis profliganda.

§. 59.

III. CURABILIS *ne unqvam est amaurosis?* MAITRE-IEAN (*l*) esse perinde ait, qværere remedium adversus amaurosin, ac philosophorum lapidem conficere velle; & dum nonnulli curatam illam ab se crediderunt, certo existimari posse, ipsos sibi imposuisse, eo qvod vel expansionem humoris vitrei vel nyctalopiam cum amaurosi confuderint. Mirum me hercle! si omnes ii casus, qvi pro curatis amaurosibus habiti sunt, nullatenus ad amaurosin pertinerent. Novimus qvippe, qvid inter amaurosin ac nyctalopiam intersit. „ Amaurosis, inqvit S. YVES (*m*), „ hactenus incurabilis censebatur; nihilo „ tamen secius nonnulla mea exempla me „ contrarium docuere „. Perinde A. G.

(*l*) l. c. §. ult.
(*m*) l. c.

RICHTERUS (*n*) „qvinqvies adultum con„firmatumqve morbum penitus fugavit, ali„qvoties incipientem difcuffit; qvibusdam „etiam ægris, qvi perfecta amaurofi labo„rabant, tantillum lucis fenfum reftituit„. Nec aliis in eadem re felix defuit fucceffus, ut deinceps ubertim videbimus. Certum interea eft, fummam femper hoc in morbo tollendo peritiffimos qvosqve expertos fuiffe difficultatem. Imo ne in prognofi qvidem ab fignis externis petita, e qvibus amaurofin aliam non curandam, aliam curabilem, ftatuerunt, fatis fibi adhuc conftitere, velut F. HOFFMANNUS (*o*) „graviffimum (in„qviens) & pertinaciffimum gutta ferena „eft malum, & in primis fi perfecta, fi in„veterata fuerit, fiqve fenes, & elangvi„da fubjecta, occupaverit, nullum medelæ „relinqvit locum... Contra malum recens, „qvod imperfectum eft, & in oculorum „duntaxat tunicis hærentem agnofcit cau„fam, præfertim in junioribus & robuftis „fubjectis, interdum fanatur. Non minus „curationi cedit ea, qvæ periodica eft, & „a fola fangvinis ftagnatione dependet:

(*n*) Obf. chir. l. c. p. 62.

(*o*) Med. rat. fyft. l. c. thef. path. §. 11.

„ qvæ vero paralyticis, aliisqve capitis mor-
„ bis jungitur, periculum portendit vix su-
„ perabile „. Si jam prognoſeos hujus, membra ſingula ad experientiam contendamus, apparebit, naturam induſtriæ humanæ ſæpius fuiſſe magis propitiam, qvam eam nobis HOFFMANNUS propoſuerat. Etenim *perfecta* licet amauroſis, expugnata nihilominus fuit in ægris compluribus ACRELII (*p*), ruſtica FOURNIERII (*q*), HEISTERI (*r*) muliere, matrona IANINI (*s*), viro LAMZWEERDII (*t*), centurione NEBELII (*u*), PÜSCHELII (*x*) milite, ruſtico RIBEI (*y*), piſtore juvene RICHTERI (*z*) & Eccleſiaſtico (*a*), viro SIGELII (*b*), aliisqve. Neqve *inveterata* etiam amauroſis omnem ſemper eludit medelam; nam qvod in pluribus aliis morbis uſuvenit, idem etiam in amau-

---

(*p*) Vide §. 115.
(*q*) Vide §. 112. a).
(*r*) Vide §. 73.
(*s*) Vide §. 106.
(*t*) Vide §. 100.
(*u*) Vide §. 97.
(*x*) Vide §. 66. No 5.
(*y*) Vide §. 63.
(*z*) Vide §. 68.
(*a*) Vide §. 64. No. 3.
(*b*) Vide §. 105.

rosi interdum est observatum, ut dum per initia omnem respuebat emendationem, ipsa temporis diuturnitate mitescens postea vel sponte desierit, vel idoneis cesserit remediis; & ne de vocabulo terminoqve diuturnitatis ad inveteratam amaurosin reqvisito ulla lis oriatur, ponam ex ordine exempla amauroseos post varium tempus superatæ; atqve ut a brevissima duratione ordiar, desiit VATERI (*c*) juveni ACRELIIqve (*d*) ægris compluribus post unam alteramve horam, post 4 horas commissario bellico RAYGERI (*e*), post ½ diem FRANCI (*f*) ægro, post 23 horas matronæ HOECHSTETTERI (*g*), lapso nycthemero feminæ CLAUDERI (*h*), HILDANI (*i*) homini, HURBOTII (*k*) puero, puerperæ MAURICEAUII (*l*), Ecclesiastico RICHTERI (*m*), Comitiqve

(*c*) Vide §. 9. No. 2 b).
(*d*) Vide §. 115.
(*e*) Vide §. 111.
(*f*) Vide §. 100.
(*g*) Vide §. 33. b).
(*h*) Vide §. 57. No. 1.
(*i*) Vide §. 39. b).
(*k*) Vide §. 47. c).
(*l*) Vide §. 94. e).
(*m*) Vide §. 64. No. 3.

RAYGERI (*n*); poſt 36 horas LENTILII (*o*) podagrico; poſt biduum GOCKELII (*p*) aurifabro, puellæ HANNAEI (*q*), mulieri ISENFLAMMII (*r*), intra 2. 3. dies qvinqvagenario STORCHII (*s*), poſt triduum feminæ HILDESII (*t*), poſt 6 dies HURBOTII (*u*) infanti, poſt octiduum LAMZWEERDII (*x*) ægro, poſt 9 dies HEYI (*y*) matronæ, poſt 10 & amplius dies HERMANNI (*z*) viro, poſt 18 dies HEERII (*a*) medico, poſt aliqvot dies ægro WINCLERI (*b*), poſt 3 hebdomades puero mendico GREDINGII (*c*), poſt 4 hebdomades RICHTERI (*d*) puerperæ,

(*n*) Vide §. 111.
(*o*) Vide §. 47. a).
(*p*) Vide §. 40.
(*q*) Vide §. 71.
(*r*) Vide §. 60. No 4. c).
(*s*) Ibidem g).
(*t*) Vide §. 104.
(*u*) Vide §. 47. e).
(*x*) Vide §. 100.
(*y*) Vide §. 106.
(*z*) Vide §. 46.
(*a*) Vide §. 30. b).
(*b*) Vide §. 68.
(*c*) Vide §. 35. d).
(*d*) Vide §. 86.

post 5 hebdomades virgini KALTSCHMIDII (*e*) & COLLINI (*f*) chirurgo, post 6 hebdomades puellæ MENZELII (*g*), post 7 hebdomades Commissario bellico ACRELII (*h*) & GRASSIO (*i*), post 8 hebdomades GOHLII (*k*) puellæ, post 9 hebdomades arthritico SCHMUCKERI (*l*), post aliqvot septimanas ALBRECHTI (*m*) puerperæ, virisqve KELLNERI (*n*) ac SCHIEBELII (*o*); post bimestre fere COLLINI (*p*) puellæ, GRADI (*q*) puero, & HEYI (*r*). Ad trimestre duraverat malum HEISTERI (*s*) ægræ, & ad 7 menses puero HOFFMANNI (*t*), & qvadragenariæ

(*e*) Vide §. 70.
(*f*) Vide §. 79. D.
(*g*) Vide §. 40.
(*h*) Vide §. 115.
(*i*) Vide §. 87.
(*k*) Vide §. 98. No. 1.
(*l*) Vide §. histor. 8.
(*m*) Vide §. 111.
(*n*) Vide §. 100.
(*o*) Vide §. 39. a).
(*p*) Vide §. 79. K.
(*q*) Vide §. 118. No 2.
(*r*) Vide §. 106.
(*s*) Vide §. 70.
(*t*) Vide §. 104.

TRECOURTII (*u*), 9 mensibus HEYI (*x*) fossori, viroqve PÜSCHELII (*y*), uno anno ægræ FORMII (*z*), 17 mensibus SCHMUCKERI (*a*) militi, sesqvi anno RICHTERI (*b*) juveni, biennio fere STÖRCKII (*c*) puerperæ, & KLEINII (*d*) ægro, 27 menses SCHMUCKERI (*e*) puellæ septenni, 4 annis FRANCI (*f*) qvadrimulæ, 7 annis STÖRCKII (*g*) feminæ, 8 annis COLLINI (*h*) virgini, 9 annis HOLLERII (*i*) ægro, decennium REUSNERI (*k*) homini, 12 annos QVELMALZII (*l*) juveni, 14 annos ægræ BRENDELII (*m*),

---

(*u*) Vide §. 113.
(*x*) Vide §. 106.
(*y*) Vide §. 66. No 5.
(*z*) Vide §. 118.
(*a*) Vide histor. 9.
(*b*) Vide §. 66. No 2.
(*c*) Vide §. 84.
(*d*) Vide §. 60. No 5. a)
(*e*) Vide §. 66. No 2.
(*f*) Vide §. 60. No 5. e).
(*g*) Vide §. 84.
(*h*) Vide §. 79. A.
(*i*) Vide §. 103. B. No 1.
(*k*) Ibidem.
(*l*) Vide §. 106.
(*m*) Vide §. 103. B. No 5.

STÖRCKIIqve (*n*), aliqvot annos HAGENDORNII (*o*) feminæ annosæ, ac STÖRCKII qvinquagenariæ (*p*) & viro qvadragenario (*q*), nec non SPENGLERI (*r*) feminæ a 5to 6to ve ætatis anno morbum hunc passæ. Sane postremi hi casus manifeste ad inveteratam pertinent amaurosin, feliciter tamen superatam. *Senilis* qvoqve haud semper est desperata, qvippe qvæ in sexagenario HALLERI (*s*), tum Antistite WEPFERI (*t*) tres supra sexaginta annos nata, nec non NEIFELDII (*u*) septuagenario curationem admiserit. Atqve ut de *periodica*, qvæ haud ita semper facile, ac HOFFMANNUS vult, remediis cedit, velut RICHTERUS (*x*) in qvinqvagenario viro expertus est, dicam nihil, certe nec illa, qvæ *paralysi aliisqve morbis capitis juncta* est, semper immedicabilis est habenda: sane in RI-

(*n*) Vide §. 84.
(*o*) Vide §. 120.
(*p*) Vide §. 84.
(*q*) Ibidem.
(*r*) Vide §. 106.
(*s*) Vide §. 90.
(*t*) Vide §. 43.
(*u*) Vide §. 38. 6).
(*x*) Vide §. 90.

BEI (*y*) ruricola cum brachii dextri paralysi, atqve in Antiſtite WEPFERI (*z*) cum hemiplegia fuit conjuncta, nihilo tamen minus ſic ſatis percurata. Neqve exceptione caret prognoſis S. YVESII (*a*), qvi „ aliqvoties obſervavit inſanabilem eſſe amauroſin, *a febre acuta*, facta ad nervos opticos metaſtaſi, ortam „. Etenim complures variorum Auctorum in contrarium cadentes obſervationes ei aperte adverſantur. Sex id genus ægris viſum uſu arnicæ reſtituit COLLIN (*b*), qvem perinde QVELMALZII (*c*) juvenis ope electricitatis, juvenis vero RICHTERI (*d*) ope ſolventium ac tartari emetici recuperavit. Idem ſucceſſus fuit in binis ægris SCHMUCKERI (*e*), totidemqve aliis WEPFERI (*f*), ac tribus STÖRCKII (*g*). Nec *a luce* etiam inducta

(*y*) Vide §. 63.
(*z*) Vide §. 43.
(*a*) l. c.
(*b*) Vide §. 79.
(*c*) Vide §. 106.
(*d*) Vide §. 66. No 2.
(*e*) Vide ibid. & hiſtor. 7.
(*f*) Vide §. 115.
(*g*) Vide §. 72. No 2. & §. 112. a).

amaurosis, ut NOOTNAGEL (*h*) notat, cunctis remediis major est, ut qvam HEERII (*i*) Medicus feliciter propulsaverit. *Lentane an subita curatu facilior?* „ Benigniorem plerumqve esse morbum, qvi subito, pertinaciorem, qvando lente oritur, observasse mihi videor „ inqvit RICHTERUS (*k*), testaturqve SCHMUCKER (*l*), feliciorem se plerumqve fuisse in curanda amaurosi subito oborta, qvam qvæ lente obrepserat. Plerumqve enim causa posterioris est vitium vel retinæ (ut varices, induratio, &c.), vel encephali ipsius (ut tumores, &c.) lente increscens nullaqve arte amovendum. Haud ita tamen id accipiendum est, qvasi lenta amaurosis nunqvam, semper contra subita, curationem admitteret; nam & lenta remediis cessit in CAMERARII (*m*) studioso, BOERNERI (*n*) juvene, HEISTERI (*o*) femina, ægrisqve HEYI (*p*) ac

---

(*h*) l. c. Sect. 1. §. 15.
(*i*) Vide §. 30. b).
(*k*) l. c. p. 73.
(*l*) l. c. p. 4.
(*m*) Vide histor. 1.
(*n*) Vide §. 98. No 2.
(*o*) Vide §. 73.
(*p*) Vide §. 106.

REUSNERI (*q*), & ſubita omnia eluſit præſidia in ESCHENBACHII (*r*) medico, pyrotechna HEISTERI (*s*), milite MARCHETTII (*t*), fulgure perculſis viro feminaqve SCHMUCKERI (*u*), ac WANDELERI (*x*) juvene. Haud ſecius res ſe habet, dum adeſt *amauroſis cum mydriaſi vel cephalæa pertinaci*: utrinqve enim gravior adeſſe videtur morbi cauſa, non tamen uſqve adeo ſemper contumax, ut nullatenus medelæ ſit patiens: nam immobilis amplaqve erat pluribus COLLINI (*y*) ægris, HEISTERI (*z*) mulieri, WATSONI (*a*) puellæ, SCHMUCKERIqve (*b*) viris, &c. pupilla, qvi omnes viſum recuperarunt; contra ea D. NOOTNAGEL (*c*) „ vidit „ duos homines, qvibus ab initio pupilla

(*q*) Vide §. 103. B. 1.
(*r*) Vide §. 73.
(*s*) Vide §. 16 c).
(*t*) Vide §. 47. b).
(*u*) Vide §. 30. c).
(*x*) Vide §. 31. b).
(*y*) Vide §. 79. A. ſqq.
(*z*) Vide §. 73.
(*a*) Vide §. 40.
(*b*) Vide hiſtor. 7. 8. 9.
(*c*) l. c. Sect. 1. §. 15.

„ mobilis erat, qvi tamen, qvidqvid me-„ dicamentorum qvoqve tentaretur, viden-„ di facultatem non recuperarunt „. Idem in HAENII (*d*) adolescente rustico erat eventus, duobusqve RICHTERI (*e*) amauroticis viris. Perinde, ubi cephalæa gravior simul aderat, curati fuere alii, alii neutiqvam. Interea tamen pessima omnium est *amaurosis cum pallore pone pupillam* observabili: „ id saltem adfirmare possum, in-„ qvit A. G. RICHTERUS (*f*), me nullum „ amaurosi laborantem sanatum vidisse, cui „ pallor notabilis pone pupillam erat, ut „ itaqve pallor ille semper mali ominis „ sit „. Principio tamen, priusqvam prorsus omnis visus periisset, nonnullos interdum ab se curatos testatur SCHMUCKERUS (*g*); at non sine diuturna remediorum, usqve dum efficaciam suam exeruissent, scil. per semestre & amplius continuata, usurpatione: ubi vero omnis jam visus intercidit, nullis uspiam remediis, in annos etiam ad-

---

(*d*) Vide §. 116.

(*e*) Vide §. 90. & Obs. chir. fasc. 1. C. 13. Obs. 8.

(*f*) l. c. fasc. 2. Cap. 5. p. 68. sq.

(*g*) l. c. p. 25.

hibitis qvidqvam fuisse profectum; qvamvis interdum mutationis aliqvid præstitisse viderentur. Ex his itaqve abunde liqvet, nullam omnino amaurosin, qvibuscunqve cum phænomenis, ita esse natura sua comparatam, ut de ejus exitu qvidqvam certi prædici qveat; qvandoqvidem recuperandi visus successus aut desperatio in duobus vel maxime consistit, primum in causa morbi, tum vero in magnitudine læsionis modoqve instrumentis visus illatæ. Etenim si causa morbum efficiens, ut est nervus pessumdatus (*h*), tumor encephali (*i*), &c. auferri nulla arte potest, amaurosis utiqve insanabilis erit, qvantumvis recens, cum pupillæ motu, &c. Qvod si caussa sublatu haud fuerit difficilis, ut v. g. saburra primarum viarum, vermes, &c. etiam ipsa amaurosis post illam sublatam facile se se expugnari patietur, qvibuscunqve cum phænomenis fuerit conjuncta, modo causa illa non usqve adeo læserit nervum opticum, ut iste post illius ablationem ad statum pristinum sanitatis reduci neqviret. Si enim, ut sæpe fit, a prægressis convulsionibus vel effusis humoribus, vasisve con-

(*h*) Vide §. 29. d).
(*i*) Vide §. 31. b).

tiguis infarctis, ita fuerat compressus, ut ablata etiam pressione paralysis illius perstet non emendanda, visus nulla arte revocabitur, licet morbus fuerit recens, pupilla mobilis, nigra, &c. Sin minor erat pressio, ut ea sublata nervus haud difficulter nativum suum statum recuperet, amaurosis vel sponte vel idoneis remediis serius citius cedet, ut præclare notavit MORGAGNIUS (*k*). Utramqve in partem serviet exemplum amauroseos a suppressis mensibus profectæ, qveis revocatis visus rediit ancillæ BLOCHII (*l*), HEISTERI (*m*) feminæ, KALTSCHMIEDII (*n*) virgini, & qvarum meminere RIEDLINUS (*o*), STÖRCK (*p*), WEBER (*q*), aliiqve: reversis vero licet catameniis aut nullatenus rediit visus, aut valentioribus remediis revocandus erat, in casibus BLOCHII (*r*), HAENII (*s*),

(*k*) l. c. No 4.
(*l*) Vide §. 37. e).
(*m*) Vide §. 70.
(*n*) Ibidem.
(*o*) Vide §. 90.
(*p*) Vide §. 84.
(*q*) Vide §. 70.
(*r*) Vide §. 37. e).
(*s*) Vide §. 116.

SCULTETIqve (*t*). Perinde duplicis ejusdem eventus exempla præbet amaurosis ex convulsionibus oborta, ut superius (*u*) meminimus. Sic etiam a lumine perditus visus HEERII (*x*) Medico rediit, aliis non rediit. Hinc pro varia morbi causa varie qvoqve recuperari solet visus; namqve

§. 60.

IV. SOLVITUR interdum

1. *Sponte* natura, ut BOERHAAVII (*y*) Britanno & viro RIEDLINI (*z*) post crapulam exhalatam, post omissum usum vini medicati scholaribus BUCHOLTZII (*a*), post evanidam vim Belladonnæ mendico GREDINGII (*b*), & cerevisiæ narcoticæ LEDELIO (*c*). Desiit perinde sopitis nervorum turbis ESCHENBACHII (*d*) puero

(*t*) Vide §. 115.
(*u*) Vide §. 40.
(*x*) Vide §. 30. b).
(*y*) Vide §. 35. a),
(*z*) Ibidem.
(*a*) Ibidem d).
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Vide §. 40.

decenni, HOECHSTETTERI (*e*) puerperæ, calculofis HURBOTII (*f*), puellæ MENTZELII (*g*), MORGAGNII (*h*) matronæ, VATERI (*i*) viro feminæqve, ac WATSONI (*k*) puellæ; finitis doloribus colicis PLATERI (*l*) ægræ, SMETII iqve (*m*) mulieri ac famulo; cerebri preffione imminuta in WEPFERI (*n*) antiftite; reftituta priftina humorum copia in agnata SALMUTHI (*o*), ac SCHIEBELII (*p*) centurione. Sic etiam I. I. SCHEUCHZERI (*q*) „ anniculus infans inde a fine Septembris „ poft prævios fubitaneos terrores, clamo- „ res, & convulfiones, cœcus. Exhibuit „ die 7ma Octobr. ▽æ antifpafm. fragariæ

(*e*) Vide §. 33. b).
(*f*) Vide §. 47. e).
(*g*) Vide §. 40..
(*h*) Vide §. 19 b).
(*i*) Vide §. 9. No. 2. b).
(*k*) Vide §. 40.
(*l*) Vide §. 41. b).
(*m*) Ibidem.
(*n*) Vide §. 43.
(*o*) Vide §. 39. g).
(*p*) Ibidem. a).
(*q*) Commerc. Norimb. T. 3. A. 1733. hebd. 21 p. 163.

„ aa. ℥jß. Corall. r. ppt. ʒß. Cinnab. ppt. „ ℈j. Die 10ma trageæ ſtomachicæ, corall. „ r. ppt. ſem. fœnic. aa. ʒj. Poſtea diebus „ 13. 20. 27. Octobr. præſcripſit ☿ dulc. „ pro doſi a gr. vj ad viij aſcendendo. O„ mnia in vanum. Sed dimiſſus infans M. „ Decembri viſum plene recuperavit do„ mi „. Huc etiam referendæ ſunt amauroſes ex intervallis accedentes & ſponte iterum deſinentes, velut in BUDAEI (*r*) viro, GUERINI (*s*) bajulo, matrona VATERI (*t*), nec non D. L. EBERSBACHII (*u*) ſcorbutica muliere, qvæ in juniori ætate ſæpius 15. 30 dies viſu carere ſolebat, eundemqve rurſus citra remedia cito recuperabat. Non abſimilem obſervavit hiſtoriam E. HAGENDORNIUS (*x*) „ in „ uxore pannificis cujusdam, dudum ſcor„ butica, qvæ ultimis, qvos vivebat, annis „ ſæpenumero viſu omnimode per menſem „ unum aut dimidium orbata fuit, ſponta-

(*r*) Vide §. 37. a).

(*s*) Vide §. 34.

(*t*) Vide §. 9. No 2. b).

(*u*) Annal. Vrat. Tent. 31. A. 1725. Mart. Cl. 4 art. 9. p. 293.

(*x*) l. c. hiſtor. 56.

„ neo tamen naturæ motu, an lusu, re-
„ deunte „.

2. *Convulsione.* Sic moniali GERBEZII (*y*) reversa epilepsia amaurosin prius post se relictam sustulit. Perinde SALMUTHI (*z*) hipparcho post lapsum surdo, cœco, mutoqve, superveniens aliqvoties epilepsia loqvelam, auditumqve, ac demum etiam visum pedetentim restituit.

3. *Febre.* Cholericus HERMANNI (*a*) a metastasi 3ne præpostere tractatæ amaurosin passus, reversa febre visum recuperavit: & „ feminam obstructis nervis opticis cœ-
„ cam, qvem olim adfectum Græci ἀμαύ-
„ ρωσιν, barbari guttam serenam appella-
„ bant, nullo in oculo vitio adparente,
„ curatam vidit Patavi 1645. J. LEONICE-
„ NUS,... postqvam a partu febris vehe-
„ mentior oborta illam corripuisset „ inqvit G. H. VELSCHIUS (*b*).

4. *Crisi* varia, seu variis evacuationibus humorum, vermium, &c. spontaneis, cujusmodi est

---

(*y*) Vide §. 40.
(*z*) Vide §. 47. a).
(*a*) Vide §. 46.
(*b*) l. c. episagm. 20.

a) *Epiphora*, cujus rarum exemplum narrat J. J. WEPFERUS (*c*), nempe mulier „ 28 annor. ſtaturæ longæ, gracilis, „ bene colorata, A. 1684. menſ. Mart. ab „ eqvo calcitrone & ſternace iteratis vicibus vehementer ſuccutiebatur, ut vix excuſſionem ex ephippio evitare potuerit. „ Inde caput partim a motu, partim ex timore caſus valde turbatum fuit: viſus obſcurabatur, vertiginem qvamdam patiebatur, non raro, ubi locorum eſſet, ignorabat; qvando rem planam (v. g. menſam) intuebatur, putavit unum extremum altum, alterum humile eſſe; in ſomno terrebatur ſæpius; doluit vehementer ſub mamma ſiniſtra. Poſtea caput dolere cœpit in vertice & nucha, hæ partes ceu ab aſſere premi videbantur, ac in vertice ſimul ſenſus magni frigoris aderat: cum cephalalgia ſomnolentia qvædam jungebatur. Dolor per ſemeſtre nunc magis nunc minus ſæviit. Circa principium Maji A. 1684. paſſa eſt diarrhœam cum torminibus. Propter cephalalgiam uſa eſt pil. purg. ℥e ceph. veſicatoriis, æſtate acidulis; nunqvam tamen penitus remiſit.

(c) l. c. Obſ. 181. p. 869.

„ Menſ. Febr. 1685. concepit: ſtatim a
„ conceptione cephalalgia evanuit. Primis
„ tribus graviditatis menſibus mane male in
„ ventriculo ſe habuit, & aqvoſa evomuit;
„ in oculis tamen & capite nihil adverſi
„ ſenſit. Die 1ma Decemb. 1685 peperit
„ puellam: fœtu & ſecundinis excluſis ſu-
„ pervenit uteri hæmorrhagia larga, unde
„ in leipothymiam 4 horis durantem inci-
„ dit; poſtea lochia 3 ſeptimanis bene ni-
„ hilominus & rite manarunt, ac illis ceſſan-
„ tibus fluor albus ad 7 ſeptimanas, tunc
„ redierunt lochia larga. In puerperio paſ-
„ ſa qvoqve eſt Eſſere, diarrhœam, ſitim,
„ mammæ dextræ ſuppurationem. Hinc ad
„ menſ. Febr. 9no qvoqve die menſes, ſed
„ parce, animadvertit, licet lactaret infan-
„ tem. Die 10 Febr. 1686. doluit in fron-
„ te ſupra ſupercilium dextrum mane uſqve
„ ad meridiem, dolor erat punctorius ma-
„ xime mane, qvando ſurgebat, aut ſi o-
„ culos movit: exacerbatur a ſternutatione.
„ Die 11 Febr. dolor mane mitior, poſtea
„ veſperi ſævior, hinc ad 15 Febr. diu no-
„ ctuqve afflixit. Die 16 Febr. dolor peni-
„ tus remiſit. Circa 14 & 15 Febr. viſus
„ plane in oculo dextro periit. Catapla-
„ ſma oculo impoſit. ex album. ovi cum ▽a
„ roſ. conqvaſſat. & croc. Nuchæ applicita

„ fuit caro vitulina. Dolore in fronte ſub-
„ lato ſenſit tamen punctionem in tempore
„ dextro. Die 19 Febr. 1686 Scaphuſium
„ venit: oculo ſiniſtro clauſo nihil penitus
„ vidit, nec veſtigium lucis in oculo dextro;
„ pupilla valde dilatabatur, nigerrima erat.
„ Veſperi applicui empl. veſicatorium poſt
„ olecrana, veſicas magnas utrinqve exci-
„ tavit. Die 20 Febr. veſperi vidit rurſus
„ manum, poſtea digitos, caput, &c. Die
„ 21 adhuc melius vidit objecta in umbro-
„ ſo loco ſita, non autem nimium a ſole
„ illuſtrata. Die 22 Febr. ſumpſit mane pil.
„ hydrot. D. D. SCRETAE cum ☿ dulc.
„ purgavit bis, viſus in eodem ſtatu manet.
„ Sub utroqve deltoide impoſui empl. veſi-
„ cat. Anteqvam hinc diſceſſit matrona
„ hæc, vidit ſatis diſtincte. Die 22 Mart.
„ manſit affectus in eodem ſtatu, impoſuit
„ empl. veſicat. poſt olecrana: nihil effecit
„ a pil. purg. die 1 purgabatur 15 vicibus,
„ ſeq. die adhuc 5. ſine majori levamine.
„ Videt omnia, ſed ceu per nebulam ni-
„ gram. Jam a die 6 oculo ſiniſtro obver-
„ ſatur qvoqve nebula, qvæ, ſi manu ocu-
„ lum breviter demulcet, ſecedit: id eve-
„ nit ſæpius per diem. Pergit Trag. qvam
„ ſvaſi ex rad. valerian. ſem. fœnic. &c.
„ petiit empl. veſicat. Die 2 Apr. ſcribit:

„ hactenus visus manet in eodem: vesicato-
„ ria & ☿ sem. fœnic. nihil ulterius præ-
„ stant; subinde nebula bono oculo obver-
„ satur: veretur deteriora... Die 10 April.
„ omisit pilulas, qvia gravidam se putavit:
„ adhibuit vesicat. usa ☿e anis. Die 8 & 9
„ Apr. menses largiter redierunt. Ambo o-
„ culi a biduo manant & rubent. Nunc
„ oculus affectus similis sano est qvoad ma-
„ gnitudinem, colorem, & constitutionem
„ pupillæ: objecta distincte, eorumqve co-
„ lorem ad distans, sed ceu per nebulam,
„ videt. Noctu in tenebris scintillæ oculis
„ obversantur... Die 12 Apr. ambo oculi
„ mane post somnum rubent, pruriunt:
„ chorda ab humero ad olecranum extendi-
„ tur, qvæ ab attactu dolet; an a Væ Se.
„ & scarificatione intermissa vel a defluxione
„ veniat? nescit. Die 14 April. ipsam con-
„ veni. Ambæ oculorum pupillæ similes,
„ nigræ, & parvæ erant, poma non rube-
„ bant, vidit omnia distincte utroqve ocu-
„ lo, etiam in tabula geographica literas,
„ & in horologio parvo numeros distantia
„ 3 passuum, licet characteres parvi essent,
„ vidit & legere potuit; etiam ex libris im-
„ pressis legere valet; agnoscit qvoqve
„ rursus colores; ait tamen in oculo dextro
„ se ceu per nebulam nigram, in sinistro ceu

„ per

„ per nebulam lucidiorem, videre. Mane
„ oculi conglutinantur, & interdiu aqvam
„ ex oculis, imprimis vesperi, manare;
„ qvamvis circa meridiem nullam videre
„ potuerim, nihilominus plus, qvam so-
„ lent, madueraut.... Caput nec qvicqvam
„ amplius dolet. Hodie adhuc menses lar-
„ ge manarunt. Tumor nunc concolor in
„ brachio sinistro erat, inflatio qvædam seu
„ impletio musculi brachiæi attracta a vesica-
„ toriis: primum in illo observabatur stria
„ rubra, doluit valde per diem unum atqve
„ alterum; sed nunc dolor & rubor evanue-
„ runt, & tumor imminuitur, dolet parum
„ adhuc a fortiore attactu. Appetit, sitit
„ subinde valde, forte ob fluxum mensium
„ largiorem. Pruriunt tibiæ & femora, a
„ perfrictione emergunt pustulæ. Infantem
„ ablactavit. Svasi 1. ut purgaretur semel
„ in septimana pil. ceph. 2. ut singulo m.
„ & v. sumeret ʒj ♁ ex rad. valerian. silv.
„ pœon. sem. fœnic. cubeb. succin. C. C.
„ ph. pp. ol. nuc. M. expr. 3. Vena seca-
„ retur 26 April. 4. scarificetur alternis
„ mensibus ante vel post novilunium. 5.
„ fonticulus inureretur propediem. Com-
„ mendavi accuratam diætam. Die 12 Apr.
„ me convenit maritus, ac narravit, uxo-
„ rem in dies melius habere, caput nec

„ dolere nec gravatum esse: illam distinctius „ in dies & clarius videre, oculos tamen ad- „ huc mane madere, etiam defluxiones ad „ utramqve aurem fieri, ac si visus obstacu- „ lum circa nervos opticos hærens penitus „ resolveretur, & alibi exitum qværeret; „ qvin etiam dolorem & tumorem brachii „ penitus evanuisse. Die 27 Junii ipsam „ conveni: oculo dextro rursus omnia di- „ stincte videt, colores dignoscit etiam e „ longinqvo, nebula tamen oculo obversa- „ tur, qvandoqve etiam sinistro: caput nec „ vel minimum dolet. Malum mortuum ti- „ biam utramqve defœdat. Qveritur de „ ventriculi debilitate, ejusqve dolore, ma- „ xime noctu & summo mane, sine vomitu. „ Insomnia patitur terrifica, atqve inde ex- „ pergiscit, & artubus tremit, vixqve pe- „ dibus insistere potest. Misi ℥ stomach. „ empl. de lithargyr. empl. vesicat. Rursus „ gravida optime se habuit mense Novem- „ br. 1686„.

b) *Fluxus narium, aurium.* A. G. RICHTERUS (*d*) „feminam novit, cui utriusqve „ oculi amaurosi perfecta laboranti rediit „ subinde, orto uberiori muci ex naribus

(*d*) l. c. Cap. 4, p. 55.

„ profluvio „ tantillum videndi facultatis, „ periit iterum naribus ſiccefcentibus „. Perinde LAUBII (*e*) operario nautico fluente ex aure læva pure viſus obſcuritas minuebatur, aucta rurſus illo ſubſiſtente.

c) *Ptyaliſmus.* I. F. ISENFLAMMII (*f*) matronæ hyeme in ſupremo ædium tabulato ſub tecto habitanti, dum mane lævum in latus cubaret, totum latus dextrum præſertim faciei nix trans imbrices tecti delapſa cooperuit. Unde illico ſenſit dextri oculi amauroſin cum pupilla admodum dilatata & ad lumen cerei prorſus immobili. Væ So, veſicans nuchæ, cum aliis remediis non multum mutationis fecere. Biduo poſt ſponte largus ptyaliſmus obortus eſt, qvo ſalivam intra diem ad ℔ jv. rejecit. Negotio hoc naturæ relicto, præter unicum collutorium e decocto althææ & fl. anthos uſurpatum, poſt aliqvot dies minuebatur ſalivatio, ac tandem deſiit, viſu oculi dextri ſenſim ad priſtinum ſtatum redeunte. Poteſtne (qværit Cl. Auctor) caſus hic a nervo qvinti paris in oculo diſtributo repeti?

(*e*) Vide §. 31. b).
(*f*) l. c. §. 29. p. 91. ſq.

d) *Emesis.* T. BARTHOLINI (g) virgini 25 annor. a janua capiti illisa post copiosum seri ex oculis, purisqve e naribus, fluxum secuta est plena cœcitas cum palpebris clausis, bulbisqve deorsum ad internos canthos detortis, ac subinde præter voluntatem leviter motis. In cranio circa suturam lambdoideam sinus visebatur. Post usum pil. cephalicarum, lucis, cochiarum, panchymag. CROLL. cum resina Jalappæ, emplastriqve de betonica raso capiti impositionem, datasqve subinde pil. de Succin. CRAT. atqve alia pro re nata non neglecta, cum aliqvando vomitus fuisset obortus, oculi converti sensim cœperunt, pupillæ ad locum solitum erigebantur, attollebantur palpebræ, virgoqve objecta obscure primum, tum sensim clarius usurpabat.

e) *Alvus*; qvandoqvidem teste A. C. CELSO (*h*) „ nonnulli, cum aliqvamdiu nihil vidissent, repentina profusione alvi „ lumen receperunt,„. Cum primis vero opitulantur hic per alvum *vermes* excreti. Apud C. F. PAULLINI (*i*) „ puellus forte

---

(g) Misc. nat. cur. dec. 1 ann. 2 obs. 166.

(*h*) De medicina L. 6. C. 6. art. 37. p. m. 296.

(*i*) Obs. med. phys. Cent. 3. Obs. 69.

„ qvinqvennis repente cœcus fit. Expulsis „ autem lumbricis terribilis conspectus (in „ dorso siqvidem toti hispidi erant, uti eri- „ naceus) visum recuperavit „. Qvod idem in HIRSCHELII (*k*) ac VANDERMONDII (*l*) casibus evenerat.

f) *Mensium, lochiorum fluxus.* Ab horum enim defectu amaurosim sæpenumero nasci superius (*m*) vidimus: hinc si demum erumpant, nervo optico non dum ita læso, ut pristino suo vigori restitui neqveat, visus etiam recuperatur. Sic J. N. PECHLINI (*n*) serva ad 16 annos nata, sæpiusqve dolorifica mensium erumpere conantium molimina experta, cum hi jam jam erupturi viderentur, mutata symptomatum scena in cephalalgiam intolerabilem, eiqve per vices intercalatam amaurosin (sangvine ad caput converso) periodice incidebat. At secta demum tempore insultus in pede vena & amaurosis illico desiit, & menses inde post 4 dies erupere. Eundem qvoqve successum a mensibus reversis experta est RIED-

(*k*) Vide §. 68.
(*l*) Vide §. 71.
(*m*) Vide §. 37. e).
(*n*) Obs. phys. med. L. 1. Obs. 42. p. 96.

LINI (*o*) virgo, ancilla BLOCHII (*p*), ALISCHERI (*q*) puella, ægrotæqve HEISTERI (*r*) ac STÖRCKII (*s*). Idem qvoqve eſt de ſuperveniente aut reverſo lochiorum fluxu obſervatum. I. E. ROTHARTI (*t*) matrona undeqvadraginta annor. ab adoleſcentia crebræ vehementiqve cephalææ, qva mater qvoqve ejusdem laborabat, obnoxia, ante 9 annos cum morbillis, ac poſt hos febre acuta inflammatoria, pleuritide, vehementibus capitis doloribus, ac diuturna alvi obſtructione conflictata, poſt gravem iram continuo ſcintillas & fulgores præ oculis conſpicabatur, qveis convulſiones ſucceſſere, amauroſin poſt ſe relinqventes. Omnia autem hæc tum plane deſierunt iterum, præter cephalæam, qvæ etiam demum ſangvinis miſſionibus (qvamvis & menſes rite ubertimqve haberet, & multum fluerent hæmorrhoides), eccoproticis, præcipitantibus, pediluviis, aliisqve deri-

(*o*) Vide §. 90.
(*p*) Vide §. 37. e).
(*q*) Vide §. 70.
(*r*) Ibidem.
(*s*) Vide §. 84.
(*t*) Beyträge zur pract. Arzneiwiſſenſchaft, 6te Krankengeſchichte p. 46. ſqq.

vantibus, ac præfertim ufui foteriarum aqvarum feriqve lactis æftivo tempore, ceffit. Prægreffa æftate gravidam iterum factam ob ærumnas animi frigidumqve conclavis pavimentum cephalæa rurfus, invafit, feqvente vifus hebetudine ad obfcurationem ufqve increfcente, cum pupillis diffufis, nec nifi parum admodum ad clarum lumen mobilibus; pedes frigebant tumidi; fapor in ore amarus. Facta in brachio Væ Se datum catharticum, & ob frigidum pedum oedema decubitus in lecto dies aliqvot imperatus. Pedes detumuere, manfere cetera. Idcirco tufa pedis vena catharfis iterata; fed omnia incaffum. Data itaqve refolventia incidentia in potu, & ♁es e fale 🜔, ♁ crudo, fulph. ☉, camphora, ref. Gvaj. qvorum ufu exanthema faciei, externis prius retropulfum, effloruit, cujus eruptio dum lecti veftiumqve calore, continuatoqve remediorum ufu adjuvatur, oborto defidendi ftimulo ac partus doloribus, abortus, qvemadmodum biennio ante, fœtus mortui eft fecutus, cui poft exemptam placentam reftitantem fuccedens, ut fit, hæmorrhagia vifum illico reftituit; fed hac demum ceffante, humoribus caput repetentibus, cum vifus hebetudo renafceretur, ▽æ amaræ, vini medicati, feri lactis, aqvarum Selteran. & Pyrmont. ac de-

mum elix. viſceral. HOFFM. cum ejusdem liqv. anod. uſu ſemeſtri, & dato qvovis bimeſtri cathartico, ſectaqve 3tio qvovis menſe vena, nec non qvolibet vere ſero lactis cum dictis aqvis ſoteriis uſurpato convaluit. Perinde E. GOCKELIUS (*u*) meminit gravidæ circ. 30 annor. melancholici temperamenti, qvæ poſt ſævos capitis dolores cum vertigine toleratos tanta oculorum caligine correpta eſt, ut nil viſu cognoſcere nec diſcernere qviret, exigua aliqva tantum lucula ſuperſtite. Datis interea remediis idoneis, imperataqve bona diæta, melius habuit, partu vero levata viſum recepit priſtinum. Id ipſum ter eſt experta matrona SCHMUCKERI (*x*).

g) *Abſceſſus apertus* ſeu ſponte ſeu arte, qvi encephalon aut nervos opticis nervis conſentientes inſidebat. Pertinet huc in primis I. STORCHII (*y*) obſervatio de viro 50 annis majore, qvi ejusmodi abſceſſu purulento laborans 2. 3ve diebus perfectam amauroſin paſſus eſt, uſqvedum rupto intra fauces abſceſſu plurimum pus ore excreviſſet: qvo facto viſum recuperavit.

(*u*) Gallicin. med. pract. Cent. 1. Conſil. 89.
(*x*) Vide §. 27. No 2.
(*y*) l. c. ann. 3. Maji Cl. 4. No 7. p. 298.

5. *Metastasi* materiæ nervos opticos prementis ad vasa remotiora, præsertim eadem, e qvibus illa ante depulsa ad encephalum se subduxit. Sunt autem multifariæ id genus metastases, aut multo potius earum modi, qveis amaurosis solvitur, scil.

a) *Exanthemata* seu febrilia seu chronica. Ita L. G. KLEIN (z) „ in memoriam „ recurrit (ait) cœcitas biennis, ex achoribus „ inducta puero, *variolis* superata „. Id qvod vel maxime tunc obtinet, dum amaurosis ab retropulso id genus exanthemate est oborta, qvo reverso illa haud raro evanescit. Sic *purpura* revocata CONSBRUCHII (*a*) feminæ, *achores* reversi puero MÜLLERI (*b*) visum reddidere.

b) *Plica Polonica*, qva evoluta amaurosis desiit FISCHERI (*c*) nobili, septuagenario NEIFELDII (*d*), SCHULTZII (*e*) Canonico, ac militi SENNERTI (*f*). Ne-

---

(z) Interpr. Clinic. p. 293.
(*a*) Vide §. 69.
(*b*) Vide §. 111.
(*c*) Vide §. 38. ς).
(*d*) Ibidem.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Ibidem.

qve forte male BOXBARTERI (*g*) monachum huc retuleris.

c) *Dolor* vel capitis vel juncturarum superveniens. Sic „PAUSANIAS (*h*) in „Messenniacis memoriæ prodidit, OPHIONEM vatem, qvi a primo statim ortu cœcus fuerat, rursum oculorum usum mirabili admodum casu recuperasse. Nam cum „ingenti capitis dolore laborasset, post adversam illam valetudinem subito luminis „compos est factus „ (*i*). Perinde rheumaticus dolor brachii SIGELII (*k*) ægro reversus spem recuperandi visus præbuit.

d) *Icterus*. Singulare hujus metastaseos exemplum præbet R. LENTILIUS (*l*): amaurosi, inqviens „corripitur 1696 mense „Januar. mulier 40 annor. cum per hebdomadas aliqvot coryza cum tussi laborasset, „linteaminibus consuendis nihilominus occupata. Ea, me ipso desperante, ne tamen nihil egisse viderer, cephalicis pilulis purgata, datum ungv. ophthalmicum,

(*g*) Vide §. 27. No 2.
(*h*) Lib. 4.
(*i*) I. SCHENCK Obs. med. L. I. fol. m. 159.
(*k*) Vide §. 106.
(*l*) Miscell. med. pract. P. I. p. 221.

„ primo in cervice veſicatorium, hinc poſt
„ ambas aures. Sudorifera, & tragea oph-
„ thalmica SCRETAE, qvæ ſeqvitur, data,
„ primo intuitu omnia irrito cum ſucceſſu:

℞. Sem. fœnic. ℥j
Rad. pœon. mar.
Herb. ac fl. euphrag. aa. ℥ſs.
Ocul cancr. ʒ ij.
Cinnam.
Fl. roſ. r. aa. ʒj.
Sacch. alb. ℥jſs. F. ☿ ſubtil.

„ Nil qvidqvam aſpectu externo in oculis
„ peregrini. Ipſa vero ante, qvam viſum
„ amitteret, ſe atro colore tincta videre aſ-
„ ſerebat, candido non item: imo ne flam-
„ mam ignis aut candelæ. Noctu interdum
„ fulgor qvaſi ſubitaneus in utriſqve oculis.
„ DEO tamen mirabiliter juvante per ea,
„ qvæ diximus, remedia, qvæ inter ſudo-
„ riferum tale erat:

℞. ♁ diaph. C. alc. philos.
Cinn. nativ. aa. ℈j
Rob Samb. ℥j. M. Capiat mane
„ tertiam partem pro ſudore, viſum ...
„ ſenſim recepit; præcipue cum ictero inſu-
„ per, fallor? an critico? cum ſignis febris
„ intermittentis corriperetur, qvibus oppo-
„ ſui ☿em febrifugum & aperientem ex rad.
„ gentian. cort. fraxin. & ſal. abſinthii cum

„ tragea ophthalmica alternis uſurpandum „.

e) *Strumæ* ne oborta, an remedia ſuſtulere amauroſin imperfectam in G. FRANCI (m) caſu? „ Filiola (narrat ille) 4 annos „ nata ... febre maligna cum inſolito calore „ corripitur, qva licet percurata, hactenus „ tamen a 4 annis tanta viſus hebetudine „ laborat, oculis cetera clariſſimis & puris, „ (ceu in amauroſi fieri amat) interim nihil ut poſſit videre diſtincte, & parum admodum proſpicit, ſi proxime oculis rem „ videndam adhibet. Poſt purgantia dedi „ morſulos meos cephalicos, & balſamum „ apoplecticum vertici & nuchæ & temporibus illinendum, aqvamqve ſpirituoſam „ compoſitam, qvam & naribus attraheret, „ & oculis inſtillaret. Inde viſum clariorem „ recepit; ſed hactenus in collo ſtruma eſt „ exorta, cui curandæ nunc operam damus „.

f) *Cataracta* ne amauroſin ſolvit? Cum multa de utroqve hoc morbo præclare obſervata A. G. RICHTERO debeamus, ad iſtud qvoqve nuper admodum primus nos, pro ea, qva eſt in cunctis amauroſeos adjunctis detegendis ſagacitate, animum ad-

(m) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 3. Obſ. 202.

vertere juſſit. En verba Ejus & caſum (*n*)!
„ Vir 20 annos natus, corpore robuſto,
„ obeſo, procero præditus, ad vehemen-
„ tes animi affectus pronus, bis podagram
„ paſſus, viſum utriusqve oculi ſponte &
„ ſenſim perdidit adeo, ut tandem minora
„ objecta non omnino, majora non niſi con-
„ fuſe diſcerneret. Cum pupilla utriusqve
„ oculi nigra puriſſimaqve eſſet, amauroſi
„ illum laborare in aprico erat. Innumera
„ ille adhibuit remedia, imo ſalivationem
„ paſſus eſt, aſt fruſtra. Elapſo anno pu-
„ pilla utriusqve oculi obfuſcari incepit,
„ tandemqve vera cataracta orta eſt. Qvo
„ facto Gottingam venit, ut cataractam illi
„ extraherem. Invitus operationem per-
„ egi; duplici enim morbo oculos laborare,
„ amauroſi ſcilicet & cataracta, credere fas
„ erat. Accedit, qvod uterqve oculus tam
„ mira ſenſibilitate affectus, lucisqve adeo
„ impatiens eſſet, ut obtectos ægrotus fere
„ ſemper haberet oculos, & lucem paulo
„ vividiorem non ſine ſummo dolore ferret.
„ Pupilla coarctata valde erat, imo fere
„ clauſa, ſimulatqve lumen ad oculos per-

(*n*) l. c. Faſcic. 3. Cap. 5. p. 64. ſqq.

„ veniebat. Mirum ſane hoc erat; uter-
„ qve enim oculus cataracta penitus occœ-
„ catus erat. Interim tamen cum mobilis
„ eſſet pupilla, cataracta boni coloris, ægro-
„ tusqve lucem & tenebras diſtingveret, an-
„ nui ægroti votis, & operationem peregi.
„ Nil ſub illa accidit, qvod memoratu di-
„ gnum eſt, ſi id excipis, qvod cornea vix
„ inciſa cataracta ſponte & impetuoſe proſi-
„ liret. Tanta itaqve erat oculi ſenſibilitas,
„ ut ſpasmo violento ſub operatione con-
„ ſtrictus cataractam exprimeret. Ingentem
„ qvotidie per 3 fere hebdomades lacryma-
„ rum copiam oculus eructavit; ejusmodi
„ autem profluvium illis plerumqve contin-
„ gere obſervavi, qvi rheumaticis arthriti-
„ cisqve affectionibus obnoxii ſunt. Nihil ex-
„ terne adhibui præter ſacculos herbis aro-
„ maticis repletos; humida enim ejusmodi
„ oculos haud ferre obſervatio me docuit.
„ Parvi momenti fuit inflammatio. Diſſipa-
„ ta humiditate viſus reſtitutus eſt integer,
„ &, qvod mirum eſt, pupilla ampla jam
„ apparuit, oculusqve vividiſſimam lucem
„ haud moleſte tulit. Tertius jam annus
„ poſt operationem præterlapſus eſt, & æger
„ tam egregie oculo ſuo utitur, ut ope ſpe-
„ cilli facile commodeqve ſcribat, legat-
„ qve. . . . An materia qvædam morboſa pri-

„ mum ad nervum opticum vel retinam de-„ lata, hanc dein reliqvit, & ad lentem „ cryſtallinam deſedit? Ita videtur. Poteſt „ itaqve amauroſis in cataractam mutari„.

§. 61.

V. REVERSIO *viſus* non una eademqve ratione omnibus accidit. Etenim viſus acies

1. *Intenſitatem* priſtinam haud ſemper attingit; ſiqvidem interdum

a) *Unius oculi* tantum recuperatur viſus, altero manente amaurotico, velut accidit HEYI (*o*) ſutori, NEBELII (*p*) qvinqvagenario, feminæ STÖRCKII (*q*), ac STORCHII (*r*) puellæ; aut vero

b) *Obtuſior* in alterutro vel utroqve oculo, qvam ante fuit, reperitur, qvalem ſenſit GRASSIUS (*s*) in ſuo oculo affecto, in ſiniſtro PÜSCHELII (*t*) æger, & Antiſtes WEPFERI (*u*), in utroqve RIBEI (*x*)

(*o*) Vide §. 106.
(*p*) Vide §. 74.
(*q*) Vide §. 84.
(*r*) Vide §. 36. b).
(*s*) Vide §. 87.
(*t*) Vide §. 66. No 5.
(*u*) Vide §. 43.
(*x*) Vide §. 63.

bini, totidemqve RICHTERI (*y*) juvenes, centurio SCHIEBELII (*z*), TIMÆI (*a*) vir, ac civis WOGAUII (*b*). Imo alias

c) *Perfecta amaurosis imperfectam post se relinqvit*, non amplius emendandam, idqve vel in alterutro tantum vel utroqve plane oculo. Sic pannificis HEYI (*c*), cum dexter oculus pristinam recepisset visus aciem, sinister non nisi sinistrorsum sita objecta discernere valebat. Ejusdem (*d*) fossor perinde in latus tantum detortis oculis objecta certius determinabat. HOFFMANNI (*e*) vero puella haud nisi dimidiata corpora sub determinato oculorum situ conspicabatur.

2. *Gradibus* multifariis, ac miris nonnunqvam, increscere observatur; nempe sunt ægri, in qveis

a) *Unus primum, serius inde alter oculus visum recipit.* CONSBRUCHII (*f*)

(*y*) Vide §. 66. No 2.
(*z*) Vide §. 39. a).
(*a*) Vide §. 35. a).
(*b*) Vide §. 46.
(*c*) Vide §. 106.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Vide §. 38. b).
(*f*) Ibidem.

femina dextro prius, serius lævo oculo videre cœpit, qvod idem fere in SCHMUCKERI (g) puella observatum est; Antistiti autem WEPFERI (h) anno tardius dextro in oculo visus, qvam in sinistro, comparuit. In aliis autem ægris

b) *Partitim qvasi eidem oculo videndi facultas redit*, velut SALMUTHI (i) hipparcho, qvi initio in altum sublata tantum objecta conspicabatur, usqvedum gradatim eadem humilius locando ac intuendo in omni demum situ videre posset. Rursus in aliis

c) *Per ludibria optica* oculi ad visum inculpatum contendunt. Sic visum prius duplicatum GRASSIUS (k) ante expertus est, qvam sanorum more videre posset; qvod idem etiam HEERII (l) Medico accidit, præterqvam qvod postea alieno qvoqve loco objecta aliqvamdiu sit conspicatus, usqve dum rite videre posset. Deniqve

d) *Colorum* etiam *vicissitudines* nonnulli ita experiuntur, ut a cœruleo sensim ad

---

(g) Vide §. 66. No 2.
(h) Vide §. 43.
(i) Vide §. 47. a).
(k) Vide §. 87.
(l) Vide §. 30. b).

lucidiores, ordine fere sibi in iride succedentes, videndi facultas progrediatur. Ita HALLERI (*m*) sexagenarius diu neqve albi neqve rubri sensum habuit, cum haberet viridis aut cœrulei. Perinde HEYI (*n*) matrona sub initium redeuntis visus lucem a radiis non nisi obliqve in pupillam incidentibus percipiebat, eiqve tunc omnia apparebant cœrulea, qvod & MARTEAUII (*o*) adolescenti accidit. Haud secius MAYRI (*p*) miles cum redeunte visu oculos in radium solarem prismate in 7 primigenios colores diremptum conjecisset, nullum primum eorum præter violaceum, postea vero etiam flavum, & e rubro aliqvid discernebat.

(*m*) Vide §. 90.
(*n*) Vide §. 106.
(*o*) Vide §. 40.
(*p*) Vide §. 107. No 3.

